
AD VICTORIUM EMMANUELEM CAJETANUM

AUGUSTAE PRAETORIAE

DUCEM AUGUSTISSIMUM

CARMINA MISCELLANEA



TAURINI MDCCLXXXVI.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant.

Ex Cic. Orat. pro Archia Poëta.

VICTORIO EMMANUELI
CAJETANO
AUG. PRAET. DUCI

JOHANNES BERNARDUS VIGUS

*Quod erat mihi optandum summopere, PRINCEPS AUGUSTISSIME, ut, postquam mihi licuit non paucis abhinc annis meorum Carminum partem Avo primum tuo, invictissimo, atque immortali Regi, CAROLO EMMANUELI tertio * nuncu-*

---

* De SINDONE TAURINENSI Carmen Taur. ex Typogr. Reg. 1768; deinde ad idem Carmen APPENDIX an. 1769.

pare, deinde et Fratri tuo natu maximo, Subalpinae Italiae Principi, atque omni eximiarum laudum genere cumulatissimo, et Regio Patruo,*2 Caballicensium Duci, sapientia, consilio, rei militaris virtute, scientiaque ornatissimo, Tibi quoque partem aliquam inscribere aliquando possem, tuoque amplissimo Patrocinio commendare, id me nunc ab humanitate tua vere singulari impetrasse, et iure, et vehementer gaudeo. Exibunt ergo tuo sub nomine, quæcumque sint, miscellanea mea Carmina, subcisivis horis subinde condita; maximaque mihi spes hinc merito affulget, futurum, ut, quod ejus splendore illustrata, et insignia, benigno ubique vultu, quocumque pervenerint, excipiantur. Atque utinam, quemadmodum et probe intelligo, et mecum ipse, non sine ingenti gaudio, usque reputabo, quantum, ob insignem hanc benignitatis erga me tuæ, et erga literas, bonasque omnes artes voluntatis significationem, Tibi debeo, ita gratum simul animum, ut aequum est, satis illustribus verbis, sententiisque testari possem, tuasque laudes praeclarissimas, quod quidem et officii esset mei, et obsequii, pro dignitate celebrare! Sed nec sinit epistolae ratio, et ipsi praefinitus modus, ut id in ea praestare satis commode quispiam possit, nec is ego sum, ut tot, ac tanta animi decora, atque ornamenta splen-*

---

* CORTEX PERUVIANUS Carmen an. 1773.

*2 CANNABIS Carmen an. 1777.

didissima, quae tuam in vitam, moresque intuentibus undique obversantur, tam brevi spatio complecti, et verbis assequi valeam. Quid enim tandem in ullo Regio Principe, ad immortalem sui nominis gloriam, summamque Reipublicae utilitatem nato optari potest, quod non sit in Te omni commendatione praestantius, quodque jure fama jamdudum, non modo apud nos, qui Te tamquam Principum exemplar suspicimus, sed apud exteras etiam nationes vel disjunctissimas non praedicet? Vix ex ephoebis excesseras, PRINCEPS BENIGNISSIME, quum jam et ingenii vi supra fidem excellentis, et discendi cupiditate, atque celeritate incredibili eam Tibi omnigenæ, Teque dignae, doctrinae supellectilem comparaveras, quam admodum pauci, ne dicam nulli, confirmata aetate, atque adeo valde provecta consequi solent. Ut enim nihil dicam de corporis exercitationibus, quibus tamen strenuam usque operam vel a primis annis impendisti, nihil de sacra, civilique historia, quam jam tum diligentissime, variarum gentium mores, atque instituta rite perpendens, et virtutum, factorumque exempla luculentissima memoriae mandans, universam percurreras, nihil denique de orbis terrae descriptione, de philosophicis, ac mathematicis rebus, de civili prudentia, in quibus eras non mediocriter versatus, quae pars est militaris artis praestantissimae, cuius Tu scientiam (res loquor multis notissimas) supra aetatem non teneres? Ne-

que vero, dum incredibilem illam ingenii acerrimi vim, celeritatemque discendi, qua egregiam sapientissimorum Institutorum curam, industriamque, non sine ipsorum laetitia, saepe vicisti, nemo non admiraretur vel maxime, multorumque literis celebrandam duceret, PRINCEPS AEQUISSIME, minorem interea erga Te admirationem, venerationemque excitabant, et religionis amor ardentissimus, cujus studio nihil unquam prius et antiquius Tibi fuit, et jucunda suavitate condita morum gravitas atque integritas, quae tuis in dictis factisque usque enituit, et naturae praestantia, ac benignitas, qua Te adeuntium, tuaque utentium consuetudine animos devinciebas, ea denique mentis amplitudo, et maior aetate prudentia, et singularis animi lenitas, caeteraeque eximiae, et magno Principe dignae virtutes, quibus ita singularem in modum jam tunc excellebas, ut nihil sit, aut excogitari possit tam magnificum, atque praeclarum, nihil tam egregium, tuoque Genere augustissimo tam dignum, quod de Te sperari, votisque praecipi non liceret. Quum autem neminem lateat ex civibus tuis, quanta cum laude et alacritatis, et constantiae in instituto cursu perrexeris, ex quo paterna, et avita ingressus vestigia, ad sempiternam posterorum memoriam fixa, ad immortalem gloriam contendere omni ope, studioque coepisti, et quam admirabiles quotannis progressus in suscepto curriculo deinceps feceris, quae nunc oratio tuis laudibus par, tam ingenti accessione

*facta, inveniri poterit? Aut quis eas pro dignitate celebrari a se posse confidat? Jure igitur omnes populi, PRINCEPS BENIGNISSIME, quum a Te videant jamdudum Patrem tuum augustissimum, suumque Regem clementissimum, et optimum, non oris modo majestate, caeterisque corporis dotibus, sed virtutibus, atque moribus, quod caput est, et egregia ad bene de hominibus, bonisque artibus merendum propensione referri, summo Te amore, pari cum veneratione conjuncto prosequuntur; jure in Te quoque spem non exiguam suae perpetuae felicitatis positam habent. Ego vero, qui semel jam et iterum celeberrimae nostrae doctrinarum omnium Parenti Academiae gratulatus publice sum, quod egregia, prolixaque Patris tui benemerentissimi in ipsam voluntate, sinu Te suo excipere simul cum augustissimis Fratribus tuis natu minoribus, eximiarumque virtutum praestantia, animique magnitudine, et civilium, ac militarium rerum scientia Tibi simillimis, vestramque in physicis rebus percipiendis, naturaeque arcanis perscrutandis ingenii perspicacitatem, subtilitatemque multos dies admirari sibi licuerit * (quo de honore, non multis ante annis illi habito, nullo*

---

* Vicies, et amplius interfuit simul cum reliquis suis Regiis FRATRIBUS, omni laudum praeconio etiam dignissimis, AUGUSTAE PRAETORIAE DUX VICTORIUS physicarum rerum experimentis, in Regii Taurinensis Athenaei Theatro anatomico, Eorum caussa, Regiique PATRIS amantissimi, et optimi mandato, actis anno 1781 a V.C. Paulo Canonica, nunc Physices Professore in eodem Athenaeo.

non tempore in posterum, et ipsa gloriabitur, sibique plaudet, et ejus annales loquentur) quas gratias Tibi agere satis cumulate non possum, PRINCEPS OPTIME, *quod tenuissima haec meae Musae dona tam humaniter acceperis, semper habebo, dum vita suppetat, simulque sperabo, latiorem mihi campum aliquando oblatum iri, quo egregias tuas laudes, tam leviter hic perstrictas, fusius persequi possim. Precibus autem (quod unum praestare possum) Deum O. M. caeterosque immortales superos, usque ambibo, ut Te sospitem atque incolumem, ad Italiae decus atque ornamentum, ad immortalem eam gloriam, ad quam natus es, paternaque voce, et exemplis splendidissimis institutus, ad literarum, bonarumque omnium artium incrementum diutissime servent.*



Utilius ne sit domi liberos, an in publicis lyceis erudiendos curare

AD VIRUM PRAESTANTISSIMUM
N. N.
veteri necessitudine cum Auctore conjunctum.

EPISTOLA

Jam tandem optatus tibi ludit, amice, per aedes;
Ingenio qui te reddit, et ore, puer:
Jamque tenelli animi se se vis prodit, et almae
Semina doctrinae poscit, opesque suas:
Sic, quae bima solo diffundit brachia aprico,
Poscit aquas arbor, ruricolaeque manum.
Ergo age: doctorum numero cito delige ab omni
Qui praeeat longa culmina ad alta via.
Nec mora sit: nocuit primis persaepe sub annis
Neglectus cultus; damnaque multa tulit.
Sunt, quibus institui sola intra tecta *, Laresque
Privatos sobolem, quam genuere placet;
Illic formari rude pectus, spargier illic
Castaliis vecto labra liquore jugis:
Illic, quae Cicero, quae prodidit ore rotundo
Mantoi Vates gloria magna soli;
Quae tusco primus bella ausus scribere versu
Prodidit, audiri, moeoniamque tubam.
Nempe domi mores turbae non inficit usus;
Non levitas studiis hic aliena nocet.

---

* *V.* Quintil. *Orat. Inst. lib.* 1 c. 2.

Hic uni assiduus curamque, omnemque laborem
Qui docet, impendit; nec sinit esse pigrum.
Sic illi. At contra quid censet amiculus audi;
Mox nato statues utra adeunda via.
At prius ingredere, atque animo percurre palaestram
Paullisper mecum, palladiosque choros.
Cernis ut assurgit simul uni plurima pubes?
Unius ut circum pendet ab ore viri?
Cur ita? Nimirum et studia ad praeclara vocanti,
Ipsis et studiis conciliatur honor.
Nec genus ille, et opes patrum, et decora inclyta spectat.
Ecce favere omnes lingua animisque jubet.
Jamque sedet judex, vitiumque inquirit in omne,
Scripta palam expendens, quae vigilata domi.
Haeret suspensis quisque auribus; oraque cunctis
Conscia sedulitas, segnitiesque notat.
Interea haec damnat relegens, mutandave vertit;
Illaque commendat, judicioque probat.
Nonne vides varios, quos passim in pectore motus
(Indicio est vultus) paucula verba cient?
Hos pudor errati; movet illos palma negata;
Huic sua laus prodest; illi aliena magis.
Jamque piget vigilasse minus, lususque, jocosque
Praeteritos damnant, desidiamque suam.
Ille sibi quidquam modo visus, visus amicis,
Dum domus una ipsi tota palaestra foret;
Dum pater, et famuli non intellecta probabant;
Nec, cui par esset, cuive secundus, erat;
Nunc, sua dum sperat communi voce probari,
Immerito, discit, se placuisse sibi.
Jamque his, jamque illis tacitus se comparat ultro;
Extremosque inter jure sedere dolet.

Hic atavis, opibusque potens haud laudis egentem
Miratur socium paupere in aede satum;
Demittitque animos, quos dant aurumque, genusque;
Et modo contemto se cupit esse parem.
Hinc stimuli ingentes generoso in pectore: pulcrum
Hinc vicisse putat; certat et ipse sibi:
Nuncque hos, nunc illos tacite ad certamina poscit;
Spemque metumque inter laudis amore flagrat.
Hinc repetit melior penetralia ditia, vimque
Ingenii exercet valdius usque sui:
Quique prius fuerat studii securus, et exlex,
Nunc sub judicium singula verba vocat.
Sic oritur tandem, et quemvis perferre laborem
Incensos animos aemulus ardor agit.
Vidi ego non raro et fratres cum fratribus ipsis
Certare, et victis immaduisse genas;
Ingenioque acres cessisse, et honoribus auctum
Jam vigilem, et navum, qui modo deses erat.
Nunc age privatis haec publica commoda confer,
Quae potis est soboli quisque parare suae.
Uni operam, aut paucis tecto sub divite totam,
Qui docet, impendit. Non ego certa negem.
At num plura etiam, et mage puris fontibus hausta
Tradit ibi, quam, queis docta palaestra sonat?
Nec semper praestans, studiis qui praesit, iterque
Ostendat pueris, dux, meliorque datur:
Votaque non pauci tandem, curamque parentum
Decipiunt, et, quae non didicere, docent:
Nec qui mente valet, valet arte, et ad optima tendit,
Vires usque omnes exerit ipse suas.
Excitat auditor studium, crescitque docendo
Doctoris nisus, turbaque calcar habet:

Quumque domi pueri sibi tantum tradita possint
Discere, si dociles, ingenioque boni;
Omnia communi in ludo, praecepta frequenti
Quae coetu, ipse sibi tradere quisque potest;
Non etenim, ut modus in mensis vinique, dapumque,
Vox praeceptoris, lux sed ut ipsa, juvat:
Utque haec illustrat totum diffusa lyceum,
Sic ea permultos erudit una simul.
Praeterea unius laudata industria prodest
Omnibus, et pectus probra aliena cient.
Incitat exemplum lentos, qui posse videntur,
Quod potuere alii, sed potuisse negant.
Sic saepe ad cursum socios ciet agmine ab imo
Carceribus missus, qui praeit, acer equus.
Mentis abest languor, procul absunt otia lenta,
Quosque sibi comites jungere pigror amat.
Illic mollities, et vitae commoda mentis
Imminuunt vires; hic labor exacuit.
Illic ingenium vel magnum saepe, quod absit
Quicum contendat, denique torpet iners;
Hic etiam exiguum tandem exercendo nitescit;
Cosque est vincendi gloria, lausque data.
Dulce illic placuisse uni, et laudare parato;
Nunc hos, nunc illos hic superare juvat.
Nec levitas animi se se vel caetera produnt,
Quae fert prima aetas, plurima menda simul.
Continet officium cunctos, et, qui omnia spectat,
Invigilans doctor, segnitiemque fugans.
At, si qua est morum male culto in pectore labes
Diffundit se se, puraque corda petit;
Utque trahit vitium languentis saepe capellae
Grex, sic vicinos inficit atra lues.

Non ego contendam, fierique id posse negabo.
Quantum haec nequitiae sit via trita scio.
At, ne contingat, cura est acerrima. Culpam
Vel dubiam tantum poena severa manet.
Nec spes est veniae dicto temerare nefando
Innocuos ausis, illecebrave mala.
Adde quod, ut quondam, noceant ne dira venena,
Consulto dantur pharmaca tuta prius;
Sic monitis animi, gravibusque hortatibus illic
Implentur, vitium ne quid obesse queat.
Utque solet vestis, pellenda ad frigora partae,
AEtati aptari, corporibusque, modus;
Sic morum, ac vitae semper juvenilibus annis
Praecepta aptantur; nec vacat ulla dies.
Non igitur merito culpabit quisque palaestram,
Si quis non fugiat, quae docet ipsa fugi.
Jam, quae forte affert Musarum ad limina sacra
Quis vitia, illa domi scilicet arripuit.
Illic non raro famulorum improvida turba
Lusibus, aut verbis, quae nocuere, docent;
Mentis ibi tumor, ac leges audacia temnens
Surgit, et emollit pectora languor iners.
Singula quid referam? Matrum indulgentia saepe
Moribus, ut studiis, credulitasque nocet.
Nec desunt exempla novis, priscisque petita
Temporibus, quae non nunc memorare libet.
Heu quoties, quae docta domi, custode remoto,
Spe praestans soboles in scelus omne ruit!
Qualis enim, opposito tandem victo aggere, flumen
Exuperatque oras, liberiusque furit;
Sic compressa diu augescit, quoque impetus ipsam
Fert, fraeno ablato, quaeque libido trahit,

Docti homines cum aliis morbis ex diuturna, et maxima contentione animi, tum vertigine praesertim laborare solent

ELEGIA

Quid tandem, o Superi, quid peccat tanta virorum
Pars, quibus ingenii est sedula cura sui?
Queis vigilare dies noctesque est sola voluptas,
Solaque, quae a studiis fama, decusque, placet.
Nam quot repperias, quos non vis impetat ulla *
Morborum, aut vexet plurima turba simul?
Eripit huic macies languenti e corpore vires;
Plurimus et docto pallor in ore sedet.
Huic caput, et renes tentat dolor; illius aures
Hebescunt; oculos his gravat humor iners.
Innatat his lentus circum praecordia sanguis;
Aut fluit ad fauces acer, et ore ruit.
Nulla tamen patrio magis improba Pestis ab Orco
Prodiit in miseros; nec magis ulla furit,
Quam quae saeva caput nervosque invadit, et imis
Visceribus dominans ipsa vel ossa petit.
(Vertigo Ausoniis dicta est, Graecisque σκότωμα;
At nullo est, Pestis nomine, digna magis)
Namque ubi pervasit, stygioque infecta veneno
Insedit cerebrum praelia dira ciens;

* *Literarum disciplina, ut animo praecipue omnium necessaria, ita corpori inimica est.* Corn. Celsus Lib. I.

Heu quot tetra lues nulla medicabilis arte
Impetit afflictos, exagitatque modis!
Sunt, quibus obducta caligant lumina luce,
Nec varius rerum cernitur inde color.
His caput in gyrum dubia vertigine, et una
Quidquid circumstat saepe videtur agi;
Sub pedibusque solum nutare, et cuncta moveri;
Atque novus semper concutit ossa pavor:
Nec relevare quies (miseros!) renuentia somnum
Membra, nec incessus laeta per arva potest.
Praeterea in varios tabes miseranda furores
Saepe agit, et species induit ipsa novas.
Hinc omnem hic coetum, consortiaque omnia vitans
In tenebris solus tempora dura trahit:
Ille dolore amens tectis se turbidus effert;
Hacque illac praeceps, illa agitante, ruit.
Hic pedibus terram (visu lacrymabile!) pulsat;
Et mortem impatiens in sua vota vocat:
Nec raro multi, nisi mens haud aegra vetaret,
Vel ferro auderent consuluisse sibi.
Ast aliis contra insolitos, mirabile dictu,
Extorquet risus, insolitosque jocos:
Miranturque omnes, quae fundunt verba, dolentque;
Queis curae illorum est ob benefacta salus.
Quin etiam heu quanto monstrum execrabile saevit
Valdius interdum, quum fera fata parat!
Sedibus e stygiis tunc semina quaeque dolorum
Secum effert, miscens atra aconita manu:
Invaditque ferox, virusque in viscera spargit,
Quo vena infuso non vacat ulla statim.
Quare aegri subito languescens supprimitur cor:
Dein tremit, atque fluit cuncta per ossa tremor:

Mox pedibus, genibusque labat; vel denique victus
Procumbit pulsans pectore saepe solum.
At tu, Phoebe pater, vexari his cladibus, ultro
Qui tua sacra colunt aspicis et pateris?
Bacchari pateris Pestem hanc impune, tuumque
Tam saeva haud properas eripere hoste genus?
Pelle precor terris; stygias et rursus ad undas
Detrude, ipse tuus si tibi gratus honor.
Sit fas, si teneros tibi quis sacraverit annos,
Hac Peste amota, te colere inde diu.
Quod nisi fas terris expellere, nullaque morbo
Est medicina truci; nec relevare licet:
Si fata obsistunt immota, ah segnia saltem
Pectora, quosque juvant otia foeda, petat.

Non semper omnino vana sunt somnia.

ELEGIA.

Haud equidem inficior male sanum jure vocandum,
Si quis forte fide somnia digna putet:
Non etenim, in somnis quae cernimus obvia, mentis
Esse opus, at sensus, vanaque spectra scio.
Novi quid valeant cerebro vestigia verbis
Impressa aut factis, quum premit alta quies:
Et fateor, Lemures stygia de sede ruentes
Non raro falsis ludere imaginibus:
Horum opera ante oculos varias volitare figuras
Saepe quiescentum, visa nec ora prius.
At certe dictis respondent multa diurnis *
Somnia, et ex ipsis cernere vera licet:
Sicque homines monuit non raro, atrisque periclis
Eripuit dociles Divûm hominumque Pater.
Hinc, se ut servarent, male fida relinquere tecta
Visi complures, et monita alta sequi.
Quique ausi hos monitus, et non mortalia verba
Temnere, non paucos poenituisse ferunt.
Testis Talani conjux improvida, duri **
Quam frustra casus vir probus admonuit.
Viderat hunc ipse in somnis, somnoque solutus
Sic sociam alloquitur, surgit ut illa toro:
Ne, quaeso, his hodie (si quid mea verba precesque
Sollicitae possunt) aedibus, uxor, abi.

---

* *V.* Macrobium *in Somnium Scipionis.* Lib. I c. 3.
** *Ex Boccacio* Fab. VII D. IX.

Quod si forte nimis nihil hinc exire molestum est,
Vicinum saltem ne pete, quaeso, nemus.
Quaeris cur moneam? Quamquam vox ipsa relatu
Deficit, atque horret mens, mihi visa feram.
Illo te in nemore heu! vidi, dum somnus haberet,
Atque ibi te invadens corripit ore lupus:
Tuque dolore amens clamabas, et tibi pastor
Adfuit accurrens illico, opemque tulit:
Dumque tuos questus audire, ac velle videbar
Auxiliari et ego, somnus et horror abit.
Horrorem sed enim poteris cognoscere tristi
E vultu, eque coma, quae mihi tota stetit.
Quare age et hunc prudens nostrum ne temne timorem;
Hicque manens gaude consuluisse tibi.
His dictis, tales conjux improvida, et irae
Impatiens contra reddidit ore sonos:
O bone conveniunt narrata insomnia menti
Scilicet, hisque tuus significatur amor.
Jam tibi (credo equidem) gravis haec mea vita videtur;
Et celerem optares in mea fata lupum:
Occultumque odium hoc praetexis nomine; at olim
Cautior (invidia rumpere) semper ero.
Non tulit ulterius conjux, verbisque benignis
Increpat: illa premit, vix tamen, ora fremens.
Mox tacitam invadit, casti stygia hostis amoris,
Suspicio, uxorum pectora saepe coquens:
Hacque duce, egrediens pauco post tempore sola
Ad vetitum tendit praemeditata nemus:
Certior et cupiens fieri, atque invisa videre
Quae timet, iligno caudice tecta latet.
Singula quid referam? lupus ingruit, atque latentem
Corripit, et pastor denique praebet opem.
Sed vix ore truci eripitur. Sic somnia vera
Comperit, et collo signa relicta tulit.

MOSIS AD HEBRAEUM POPULUM

In Erythraei maris divinitus patefacti
Littore trepidantem, ut verisimile est,
ejusque sequi vestigia,
et transire timentem.

ORATIO ex lib. Exodi c. XXIV.

Quis metus, o socii, aut quae vos dementia caeca
Littore adhuc segnes, ancipitesque tenet?
An, qui servitio modo vos exemit acerbo,
Hic nunc insontes obruet inde Deus?
Namque viam ipse unus patefecit, credite, talem:
Jussaque mortalis paruit ista manus.
Ipse unus scissos, dictu mirabile, fluctus
Forti suspensos dextera utrinque tenet.
Ipse, Noto inducto, fulvam siccavit arenam,
Quo sit tuta magis commodiorque via.
Et dubitet quisquam, quo nos vocat Ipse, parato
Ire animo, atque citos, me duce, ferre gradus?
Nec venit in mentem, maneant quae fata morantes?
Non quae turba instet? Quot fera signa ferat?
Hei mihi jam peditum innumeras, equitumque catervas
Cerno animo; jam mî concutit ossa pavor.
Heu fugite, atque statim, quae jam patet una salutis,
Carpite, dum tempus, me praeeunte, viam.

Ὁ Ξυλοδόμινος, καὶ Ἑρμῆς

Μῦθος τοῦ Αἰσώπου

ΘΕίαν δικαίως ὤπτουσι ψεύδεα μῆνιν.
　　Ἀθανάτους τε Θεὸ ς φ᾽θεῖν ἀδύνατον,
Καὶ μὴ τῶν εὐχῶν ὑποκριτῶν αὐτ᾽ ἀκούουσι.
　　Γνοςῷ φρὺξ μύθῳ τοῦτ᾽ ἐδίδαξε γέρων.
Πρὸς τ᾽ ὄκθῳ, κεῖλει τ᾽ ἐν ἄκρῳ ποταμοῖο γεωργοὺς
　　Πυρὸς ἔδεσμα ποτὲ ξύλα ἑτοίμα (ἔφη).
Ὤν᾽ δὲ πένης οὗτος βίον δ᾽ ὀρθῶς τε διῴκει
　　Ἐν ςένῳ αὐτάρκης, καρφαλέῳτε δόμῳ.
Οὔτε πόνου, διὰ τοῦ γηρᾶσθαι ἀπείκετο αὐτός·
　　Καὶ πέλεκυς δίδου δίςομος οἶγε τροφήν.
Τούτῳ μισθωθεὶς καταβάλλειν δένδρ᾽ εἴωθε,
　　Καὶ σωρεύεσθαι ξύλα κελευσόμενος.
Τούτῳ τοὺς μακροὺς ἀποκόπτειν φύλλα, κλάδουςτε
　　Τοὺς μέλλοντας ἔμεν ταῖς ὀρυφαῖσι δόκους.
Κἀκεῖνον τότεν ἐγχειρῶν δρυὸς ἔχιδε μακρόν,
　　Καὶ μὶν σφὲ προτρέπων ἔργου ἐπεῖργε πέρας.
Ἀλλὰ (φη.) αὐτοῦ μὴν προθυμῶς ὅπλον προβαλόντος
　　Τῆς δὲ δρυὸς πλήξων φθεγγομένηφι λίαν·
Χειρὸς ἰδ᾽ ἐξελθὼν πέλεκυς ὁ ἄγαν γε βιαθεὶς
　　Πρήνης εἰς ποταμοῦ χεύματα ἐξέπεσε·
Νῦν τί δράων, ἢ πῶς τὸν ἂν ἐνδέξειε σίδηρον;
　　Ὕδασιν ἐν ξάνθοις ὃν βαθὺ ῥεῖθρον ἔχει;
Ἆρ᾽ οὖν ἐμβήσει τυφλὰ κύματα νήχειν ἀγνώς
　　Καὶ κινδυνεύσει τοῦ γε βίοιο γέρων;
Ἀλλὰ ἱμειρέμενον ψόφος ἂν, καὶ μῆνις ἀπείργει
　　Τοῦ ποταμοῦ, ὄμβροις οἰδαλεοῖο μάλα·
Οὔτε μεν ἐν μεσάτῳ, ὃ σφάλλερον᾽ ἐςι μεταλλᾷν
　　Ἐξ ἄκρου βλέπεται χείλεος ἔνθεν ὁρῶν.

LIGNATOR, ET MERCURIUS

FABULA AESOPICA.

Divûm iram merito vanae mendacia linguae
  Accendunt; nec eos fallere quisque potest:
Nec, si ficta, ipsos moveant vota ulla, precesve.
  Id docet haec phrygii fabula nota senis.
Ad tumulum quondam, fluviique in margine primo,
  Rusticus, escam igni, ligna parabat (ait).
Pauper is; at rectam, modico contentus, agebat
  In parva vitam, stramineaque casa:
Nec, quamvis senior, duro ipse labore vacabat;
  Parsque sui quaestus magna, securis erat.
Hac steriles jussus stirpes mercede solebat
  Sternere, et in celsas findere ligna strues:
Hac stratos truncos, decisis undique ramis,
  Aptabat, tectis tigna futura novis:
Hac quoque tunc utens scindebat fissile robur:
  Seque ipse exhortans adproperabat opus.
Infelix sed enim toto dum corpore nitens
  Fert ferrum, et quercus valdius icta sonat;
Ecce manu fugiens nimio nisu acta bipennis
  Fluminis in rapidas praecipitatur aquas.
Nunc quid agat? vel qua ferrum ratione resumat?
  Ferrum, quod sub aquis alveus altus habet?
Praecipites ne undas, et non tentanda subibit
  Nandi non gnarus caeca pericla senex?
At cupidum terrent sonitusque, aestusque furentis
  Alti amnis (magnis imbribus auctus erat);
Nec mediis saltem, quod non est quaerere tutum,
  A primo inspectans margine, cernit aquis.

Κόρμου ἰδ' ἐκ δρυΐδου ἀποκοφθὲν, ϗ ἀπολεφθεν·
　　Δένδριον ἐγγὺς ἴσως αὐτόφυτον βλέπεται·
Τοῦτο λαβὼν εἰκῇ τὰ κατώτατω ἔνθα, ϗ ἔνθα
　　Εʼζέτει, μείων ϗ πέλει ἐλπὶς ἀει.
Ψαδηθεῖς δὲ τέλος τῆς ἐλπίδος ἤδε ποθοῖο
　　Χειρὸς τοῦ ἄχθους ῥίψε πέριττον, ἑκας·
Καὶ πληροῖ πλατέως στοναχῶν, μεμψῶν τε ἅπαντα
　　Νῦν μὶν σφὲ ψέξας, νῦν ἅμα μοῖραν ἔην·
Καὶ δακρύων οὐ φείδεται, ἀλλ' ἐσθῆτα, ϗ ὦπα
　　Iʼκμάζει, πάντας δ' ἠπικαλεῖ τε Θεούς.
Κ'ἤδη δῶμ' ἱν' ἀνείῃ, ὡς εἴωθ' ὀλίγιστα
　　Σχόινῳ, ξύλα δέσας ἔνθαδ' ὁδέυε πάλιν·
Ἀʼλλὰ δὲ οὐράνοθεν πτεροπους Διὸς Ἄγγελος αὐτός
　　Εʼξελθὼν πρὸς ἱου ἔσατο ἐρχόμενος·
Εὐμόρφῳ κόυρῳ εἶδος τε, ϗ ὦπα ἐίκτη,
　　Εʼσθῆτ' ἀγριότῃ, ἀγριότου τε γόνῳ.
Εʼξῆς ἐγγίζων μαλακοῖσιν ἐπήεσιν ηὔδα.
　　Καὶ τι τοσουτα χέῃ δάκρυα πυνθάνεται·
Ὣ φωνὴν προλαβὼν λυγμοῖσιν ἀποῤῥηχθεῖσαν
　　Εʼνδότατοις ὁ γέρων στήθεσι πάντα λέγει.
Γνωρίζει τε ὀπου στελέκου σειωθεῖσ' ἀξίνη
　　Χειρός τ' ἐξέπεσεν, κ' ὕδασιν ἐῤῥόθεε.
Καὶ σφὶν ἀφειλόμενον μόνον τὸ ἐρεῖσμα βιοῖο
　　Φῆσέ τε, ϗ πικρῶς ἔμπαλιν ὠδύρετο.
Τίπτεν ἕκαστα λέγω; ἀγαθοῖς ἐντεῦτεν ἐπέεσιν
　　Εʼλπει Ερμάιας, ϗ δίαλυσε λύπην.
Καὶ εἰς τὸν ποταμὸν γ' ἀποδύς σφε, μόλις γε θέλοντος
　　Πρεσβυτέρου θεατου, ἄυτικα μὴν κατέβη.
Εἰσελθών τ', ὥσπερ διαπρήσσων ἀερα, κῦτος
　　Εἶτ' ἔξω στέρνου μεχρ' ἀνέκυψε πάλιν.
Ἀʼξίνην τε φέρων μετὰ χεῖρας χρυσοφαεῖσαν
　　Δείκνυσι, καὶ ἀυτου ἆρα γέν ἧστιν, ἔφη;

Ecce tibi excisum quercus de caudice stirpem,
Exutumque levi cortice forte videt.
Hunc capit, et caecum studio pertentat inani
Hac illac fundum; spesque fit usque minor.
Tandem impos voti, et spe deturbatus ab omni
Projicit infausta pondus inane manu.
Tum querulis implet late omnia vocibus, et se
Nunc unum accusat, nunc fera fata simul.
Nec lacrymis parcit, sed vestem humectat et ora;
Atque Deos omnes in sua vota vocat.
Jamque, domum ut peteret, paucis de more coactis
In fascem lignis, rursus inibat iter;
Cum subito ante oculos coelo delapsus ab alto
Aliger illi adstat Nuncius ipse Jovis.
Formosum specie juvenem referebat, et ore;
Ruricolam pannis, ruricolaque satum.
Tum citus accedens verbis compellat amicis;
Et, quae sit fletus caussa, deinde rogat.
Cui vocem ex imo, singultibus interruptam,
Ducens corde senex ordine cuncta refert:
Ostenditque locum, qua trunco excussa bipennis,
Elabensque manu vortice sorpta fuit.
Amissum queritur (luctusque integrat acerbos
Id dicens) vitae praesidium esse suae.
Singula quid memorem? verbis spem deinde benignis
Injicit illi Hermes, tristitiamque levat.
Nec mora; deposito in fluvium descendit amictu,
Spectante ex ripa, vixque probante sene.
Succedensque imo, ceu quum secat aëra, fundo,
Pectore deinde tenus protinus exstat aqua:
Quamque manu praefert nitidam, flavamque bipennem,
(Namque erat ex auro) monstrat, et an tua? ait.

Οὐκ ἐςι ψεύδειν ἀποκρίθη ἐκεῖνος ἄπειρος·
    Θαυμάζει δ' οὗτος, κ' αὖ ποταμοῦ κάτιε.
Οὔτ' ὑπὸ χευματέων, κῦτος τε τυφλοῦ ἐπιμείνας·
    Ἐξαίρει στρεφθεὶς, ὡς πρότερον κεφαλήν.
Κ' ἄλλην φαινομένην ἐξ ἀργυρίοιο προτείνει,
    Κ' αὖτις πυνθάνεται δεικνὺς ἆρ αὐτοῦ ἐῇ;
Οὐκ εἴκει αὐγῇ ὁ γέρων· ἠρνήσατο αὖτις
    Οὕτῳ φὰς· καὶ γὰρ χάλκεα ἦτο ἐμή.
Πρὸς τοῦτ' ἀνθ' Ἑρμῆς μετὰ οὐ λῆγε, μῆτι δεῖται.
    Πειρᾶσθαι ἔτι; καὶ ταῦτα γέροντι ἔφη·
Εὖγε γέρων ἀρετῆς, καὶ θυμοῦ· Οἴκαδε ταύτην
    Καὶ σὴν μὴν οἴσεις χρυσοφαέντος ἅμα·
Ὡς φάτο ἀρπαλέοις ὑπὸ κύμασιν αὖ ἀπέβησε,
    Καὶ τρία χειρὶ ῥόοι εἶτ' ἄγει ὅπλα ἄνω·
Καὶ δοκίμῳ πάντ' ἀγριότῃ παρέδω ἀνακυφθεὶς
    Τὴν δ' ἐσθῆτ' ἀκαρῆ ἐνδὺς ἀπῆλθε πάλιν·
Ἀλλ' αὐτῷ βλέψει, εὐχαῖς τ' ἀκολουθεῖ ἰόντι
    Ἀγριότης, καὶ ἔχει νῷ ἔπεσίντε χάριν·
Αὐτοῦ ἰόντος ἔχει· πρότερον γὰρ φονὴ ἔεσθη
    Ἐν κραδίᾳ θάμβου ὄυνεκα, κ' εὐθυμίας,
Ὅπποτ' ἴδεν (καὶ γὰρ ἴδεν) οὐράνοθεν κατίοντα·
    Ὅς γ' ἐπικουρῆσαι εἰς τὸ δέον σφὶν ἵκε·
Ἀλλ' ὁ Θεὸς μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀφανίζετ' ἀπελθών
    Ἐν τούτῳ, ὁ γέρων δ' οἴκαδε εὐθὺς ἴε·
Καὶ νῦν θαυμάζων τοῦ χρύσου, κ' ἀργυρίοιο,
    Νῦν μετ' οὐ οἰόμενος πλεῖσα ἐλάττου ἐδῶν·
Ἄγρια δ' ἦδε παροικοῦντος τὰ σέγνα πέφανται,
    Τοῦ σφὶν τῶν πάντων πάντοθι προσφιλέος·
Ταῦτα παρεκβαίνει πρὸς σέγνα, φίλον τ' ἀρχαῖον,
    Τῇ φωνῇ προφέρων, τῷ τ' ὁμοῦ ὠπὶ χάραν·
Ἔνθα τί χαίρηται οὕτως ἀγάοντα διδάσκει·
    Καὶ ἔπεσιν φαίνει ἡ ἀφελεία πάλαι,

Non est, respondit mentiri nescius ille;
    Hic, mirans, iterum fluminis ima petit.
Nec multum sub aquis, caecaque in sede moratus
    Exerit ad ripam versus, ut ante, caput:
Protenditque aliam, argenti splendore nitentem;
    Sicque ait, ostentans, sit tua, nec ne, vide.
Nil capitur splendore senex; negat ipse rogatus
    Illico, et hoc addit; ferrea namque mea est.
Rursus ad haec Hermes, numquid tentare necesse est
    Ultra animum? secum dixit; at ista seni.
Macte animo, ac virtute senex: istamque, tuamque,
    Auratamque feres ad tua tecta simul.
Sic fatus rapidis iterum se condit in undis;
    Armaque terna manu mox trahit amne super;
Singulaque emersus tradit rectoque, proboque
    Ruricolae, et pannis rursus amictus abit.
Ast oculis illum sequitur, votisque abeuntem
    Rusticus, et grates voce animoque refert.
Illo abeunte, refert; vox namque occlusa stupore
    Haerebat tacito, laetitiaque prius,
Sensit ubi (vere nam sensit) ab aethere celso
    Demissum, misero qui sibi ferret opem.
At Deus interea tenuem evanescit in auram
    Protinus ex oculis; tendit et iste domum:
Et nunc admirans argenti pondus et auri;
    Nunc agitans secum plurima fallit iter.
Jamque prope adparent vicini rustica tecta,
    Carior in terris quo sibi nullus erat.
Haec ille ad tecta, et veterem divertit amicum,
    Laetitiam prae se voce oculisque ferens.
Tum, cur pertentent adeo sibi gaudia pectus,
    Mirantem, antiqua simplicitate docet.

Πᾶντα λέγει, ἀγοράν τε Θεοῦ, κ̀ ἔργα, ὀμοῦ τε
　　Χρύσον, κ᾽ ἀργύριον χέρσιν ἔχειν παρέδω.
Εἶτα τόπȣ μνήσας τȣ̃ γνοςȣ̃ ἀμφοτεροῖσι
　　Πολλὰ τ᾽ ἐπαγγέλλων οἴκαδε ἄυτις ἴε·
Ἐν τούτῳ φθόνεῖ πρῶτον διὰ ταῦτα, ποθοῖο
　　Κερματέων ἐχθεὶς, κρυψίνοός τε φίλος·
Ἐντεῦθεν δὲ τρέφων θυμὸν φιλοκέρδεα δόξα
　　Ἔλπεται, ὡς Ἕρμην εὐνιόκως μιν ἔχειν·
Τὴν ὁδὸν ο̃υν εἰσέρχεται αὐτίκα, ἀξίνην τε
　　Χειρὶ φέρει, βόυλω κ̀ ἀπόκρυψεν ἔην·
Καὶ χρύσ᾽ ἱμειρόμενος ποταμὸν προσετρέξε μερίμνος,
　　Και ἤδει. ἐλπὶς τὰ πτερὰ δῶκε ποσί·
Ούτε δ᾽ ἐκεῖ σχίζει πονέων τὰ ξύλα, μοχρȣ̃ς τε
　　Αὐτά τε σωρεύει, ῥίψισι ἢ τὰ δέει·
Ἀλλ᾽ ἐκ τῶν χειρῶν πλάττων τὸ πτῶμα σιδήρȣ,
　　Τὸν φοράδιω μέσα εἰς ὕδατ᾽ ἐκόντι βάλε·
Εἶτα δίπλȣς σέρνȣ πολλȣ̃ς ἀποχεῦσεν ὀδυρμȣ̃ς
　　Πάντα βοηθῆσαι ἄνδρα, Θεόν τε καλῶν·
Καὶ ταῖς χερσὶ τριχᾶς τίλλων δοκεῖ, οἰμώζει τε
　　Τὴν σφοδρᾶν μοίραν μ᾽, τ᾽ ἀτυχήμα ὁμȣ̃·
Ὄμματα δ᾽, ἐν τούτῳ, μόγις ὑγρὰ κυλίνδετο βλέψας.
　　Εἰ πόθεν ἂν χρηςὸς σφὶν παρέη, ὁ Θεός·
Καὶ μὴ τȣ̃ κλαίειν ἀνεπαύσετ᾽, ὅτ ὕψοθεν Ἕρμης
　　Ἐρχόμενος πτήσας ἄντα παρεῖκε πάλιν·
Τον᾽ δ᾽ ἀγαθοῖς πρῶτον παραμυθεῖται ἐπεέσι,
　　Καὶ τȣ̃ τὴν ἀρχὴν κλαύματος αἰτέεται·
Αὐτὸς δ᾽ ἐκ διπλȣ̃ς κραδίης στεναγμάτ᾽ ἀνάξας
　　Ψευδομύθῳ προφέρων ςόματι ταῦτα λέγει·
Σχίζειν πείραζων πάσην ἰδεαν, φίλε, τοῦτον
　　Κόρμον (πρὸς κόρμῳ γαρ κατακεῖτο χάμαι)
Καὶ φεῦ! εἰς ποταμον᾽ κατὰ τ᾽ ἴσχυρον ὅπποτε αὐτόν
　　Πλήττω, ἡ ἀξίνη ἐξεπεσȣ̃σα ἴε.

Cuncta refert, et verba Dei, et benefacta, simulque
Argentum atque aurum donat habere manu.
Deinde locum memorat dudum notissimum utrique;
Multaque pollicitus ad sua tecta redit.
Interea invidia primum tabescere amicus
Tectior, atque siti sollicitatus opum:
Mox, avidum vana spe pascens pectus, eodem
Sperat amore uti se quoque posse Dei.
Ergo iter ingreditur (mora nulla), manuque bipennem
Praefert, consilium dissimulatque suum:
Incensusque auri studio volat anxius altum
Ad flumen, dulci spe celerante gradum.
Nec tamen aut truncos ibi ferro, lignaque findit;
Aut struit in fasces, viminibusque ligat.
Protinus at simulans manibus lapsam esse bipennem
Magno ipsam in medias impete torquet aquas.
Tum querulas ficto profundit pectore voces;
Imploratque gemens Divûm hominumque fidem;
Et manibus crines sibi vellere fingit, acerbum
Nunc casum deflens, nunc fera fata vocans.
At circum interea vix humida lumina volvit,
Si qua praesentem cernat adesse Deum.
Nec flendi modus ullus erat; quum protinus alto
Delabens Hermes adstitit ante oculos:
Atque prius verbis flentem solatus amicis,
Quae tanti fletus caussa, deinde rogat.
Cui crebra ancipiti ducens suspiria corde
Mendaci hos tandem protulit ore sonos.
Corpore nitebar modo toto scindere, amice,
Hunc truncum (ad truncum namque jacebat humi);
Quum medium in fluvium, validis dum viribus ictum
Torqueo (me miserum!) lapsa securis abit.

Καὶ ποταμοῦ ἀναχαζομένου καταβαίνει ἐφ᾽ ὕδωρ
　　Αὐτίκα, καὶ δίνη ἴξ᾽ ἀναχεῦσα βάθος·
Φεῦ πόσακις μανικὸς πόθος εἰς τὸν θυμὸν ὑπεῖκε
　　Ἐμβάλλειν ἐμὲ εἰς ῥεῖθρα ταχεῖα μάτην!
Καὶ ῥα πεποικοίμ᾽ εἰ μὴ κινδυνοῖο τὸ εἶδος,
　　Καὶ τῶν μοῦ παιδῶν γλυκὺς ἀπείξῃ, ἔρως·
Ὀλλεμένου γὰρ ἐμοῦ ὅπλου τι ἐμοὶ περισσεύει
　　Ὧ δύναμαι παρέχειν τοῖς ἀποροῖσι τροφήν;
Τοῦτ᾽ ἆρος ἦ, τοῦτ᾽ ἐλπὶς ἐμοῦ πᾶσ᾽. Ἀλλ᾽ ἄγε ὅς τις
　　Ἂν μοι, εἰ δύνασαι, νυνὶ βοηθὸς ἴκε.
Ὣς φάτο τοὺς θρήνους, ψευδοῦς τ᾽ ἀναχεῦσε ὀδυρμοὺς,
　　Καὶ πλεῖς ὀφθαλμῶν δάκρυα ἐξάγαγε·
Ἀλλὰ ὁ τῆς Μαίας, καίτοι τὰ ψεύδεα πρῶτον,
　　Καὶ τοὺς μὲν θρήνους, καὶ μὶν ἐμίσει ἅμα,
Ὦπι δ᾽ ἔρωτα, οὗ αὐτὸς ἀνάξιός ἐστιν, ἔπλαττε,
　　Καὶ πᾶσαν ἀπάγειν τὴν ἐκέλευσε λύπην·
Ἐκ τούτου θυμὸν πειρῶν ποταμῷ κατεδύθη,
　　Καὶ ἐκνηχόμενος χερσὶν ἔνηγκε χρύσον·
Δείκνυσι δ᾽ ἀνθρώπῳ ξανθὸν κάλκον, καὶ ἔχοντα
　　Τῆς σκῆμ᾽ ἀξίνης, μῶν φίλ᾽ ἡ αὐτοῦ; ἔφη·
Ὦ φαῦλος, χέρδους τ᾽ ἐκ πολλοῦ ἔρωτι τυφλωθεὶς
　　Ἄγριός ἐστιν, ἔφη, μοι ἀναιδὸς, δέομαι·
Καὶ τέλος ἐκ ῥείθρου ὄχθην μεταβαίνε ἐς αὐτήν,
　　Νώθρατε ἡσυχία κῶλ᾽ ἀναπαύε τόθι·
Ἔνθα γὰρ εἰς ταύτην λόχμην σκιοεῖσαν ἂν ἵξῃς,
　　Καὶ πρᾶον, εἰ δοκέῃ δωρεὰν ὕπνου ἑλεῖν·
Ὣς μὲν ἐκεῖνος, καὶ ψεύδεσται πλείον᾽ ἔμελλε,
　　Ὥστεν ἐλευθέριός σφιν Θεός ἐστι ῥάων·
Οὗτος δ᾽ ἐν τούτῳ ποταμῷ ἔδη ἀποδύσας
　　Ὄχθῃ ἐν ξηρῇ κῶλ᾽ ἀναπαύε χάμαι·
Καὶ ταχέως διανιστάμενος, καὶ σφόδρ᾽ ὀχθήσας
　　Μίν τε σφὲν ἐκφάννων ὄμμασι, κ᾽ ὦπι Θεόν.

Nec mora descendit, fluvio cedente, sub undas;
Atque imam sedem vortice rapta petit.
Heu quoties animum subiit vesana cupido,
Me rapidas saltu mittere frustra in aquas!
Fecissemque adeo, facies ni saeva pericli,
Natorumque tener me revocasset amor.
Quid namque, amisso ferro, mihi denique restat,
Quo victum miseris suppeditare queam?
Hoc mea messis erat; mea spes erat omnis in ipso.
Quare age, quamque potes, quisquis es, affer opem:
His dictis, gemitus renovat, fictasque querelas;
Plurimaque ex oculis gutta coacta cadit.
At genitus Maja, quamquam mendacia verba
Jamdudum, et gemitus odit, eumque simul;
Ore tamen simulat, quo non est dignus, amorem;
Tristitiamque omnem pellere corde jubet.
Mox, animum ut tentet, fluvio succedit, et aurum
Prae manibus gestans enatat amne super:
Ostentatque homini flavum, formaque bipennis
Donatum aes dicens: haeccine, amice, tua?
Cui nequam, et lucri jamdudum caecus amore
Rusticus, est, inquit: jam mihi redde, precor:
Jamque ab aquis tandem tumulum te proripe in istum,
Languidaque apricans membra quiete leva.
Hinc tacitae huic poteris silvae succedere ad umbram,
Et placidum somnum carpere si libeat.
Sic ille, et falso proferre ex ore parabat
Plura, sibi ut facilem posset habere Deum.
Jamque hic interea rapidis emersus ab undis
Littore in aprico membra levabat humi;
Quum subito exurgens flagranti percitus ira,
Atque ipso referens ore, oculisque Deum:

Ὡς οὖν νοῦς ἄπορον πλεονεξία σε πράγ' ἀναιδὴς
    Λανθάνειν δυνατὸν καὶ μέ δοκοῦντ' ἄν ἔμεν;
Ἆρα σὲ ὑπομνῶ; καὶ μὴ ποινῆφι παρέξω;
    Ἀλλά τε φειδέσθαι βέλτιον, εἶπεν, ἴθι·
Ἔνθ', ἄπαγ' ὦ φαῦλος, καὶ ἀνάξιος ἐυποιεῖσθαι
    Ψεύδεσι μὲν γεγονὼς, ἠδὲ φιλαργυρίᾳ·
Οὕτως φὰς ταχέως φεύγει, ὥς κάπνος, ἐς ἄυρας,
    Ἄστρα τε προσπέτεται λαμπετοῶντα πάλιν·
Ἀλλὰ φόβος χρῆσιν νοῦς μὲν γλοσσῆς τε παρεῖλε
    Ἀγριότῃ πᾶσαν, τὰς γεν ἔφριξε τριχάς·
Μηδ' ἄλλως ἐξίστατο, ἢ δρυὰ δῶμά τε βλέψας
    Πρὸς σφὶν μὲν πληχθὲν τῷ πυροέντι βέλει·
Ἀλλ' ὅπου ἐκστάσης κραδίας πᾶς θάμβος ἀπῆλθε
    Καὶ φωνὴ ἐδόθην οἱ γε, ψυχῇ τε βία,
Τόφρα γ' ἀνοιμώζειν, καὶ ὀδύρθαι ἀπήρξατ' ἀλεθῶς,
    Τόφρ' ἀκριβῆα ῥέειν δάκρυα τὰς γένυας·
Μηδὲν ὀλωλήας ἀξίνης μεῖον ὀδύρειν
    Ἤρξατο ναὶ αὐτοῦ σφᾶλμα, κ' ἄνοιαν ἅμα.

Ergo ne sic inopem mentis te sacra cupido
Reddidit, ut falli me quoque posse putes?
Te ne feram? Tanto nec dignas crimine poenas
Sumam hodie? At praestat parcere, dixit; abi:
Hinc abeas nequam, fallax quem lingua, sitisque
Summa auri indignnm munere, opisque facit.
Sic fatus dicto citius, ceu fumus, in auras
Effugit, et rursus lucida ad astra volat.
At pavor attonito linguae, ac rationis ademit
Ruricolae usum omnem; constiteruntque comae:
Nec secus obstupuit, quam qui quercumve, domumve
Igne Jovis tangi se prope forte videt.
Ast, ubi perculso stupor omnis corde recessit,
Voxque sibi tandem reddita, visque fuit;
Tum gemere, et veras coepit jactare querelas;
Veris tum lacrymis immaduere genae:
Nec minus amissa vehementer flere securi
Errorem coepit, stultitiamque suam.

PAULLUS, MAGNUS RUSSIAE DUX,

VICTORIUM AMEDEUM SARDINIAE REGEM AUGUSTISSIMUM

*Ad Septimum * usque obviam profectum*
venientem adspiciens
sic locutus fertur.

EPIGRAMMA

Rex igitur solus? Nullo Rex milite septus
Cum Nato ipse suo tam procul urbe venit?

Et turbam interea innumeram juvenumque, senumque
Hic cerno, atque illic; et metus omnis abest?

Felicem Regem, cujus decora inclyta prodit,
Qui patet hinc, ardens undique civium amor!

Sic, Petri Magni genus alto a sanguine Princeps,
Oscula VICTORI prima ubi fixit, ait.

---

* *Vicus est satis frequens, et non ignobilis, septem milliaria ab Augusta Taurinorum distans.*

AD EUMDEM MAGNUM DUCEM

Subalpinae Italiae fines ingredientem, et ad Augustam Taurinorum diversurum.

ODE

Non hic, aviti praemia roboris,
Opes Rhutenas, nescia limitum
Tot Regna, et arces, tot fretorum
Caerula, littoreasque moles;

Non copiarum vix numerabilem
Vim, sive terra, sive mari vocet
Mars signa, cernes, o paterni
Imperii, nihil orbe majus

Quo sol peragrans omnia conspicit,
Et spes, et ingens PAULLE decus, sinu
Quem jure gestiens, ovansque
Nostra hodie regio recepit.

At, quas, Rhuteni lumen, et omnibus
Canenda seclis gloria, nominis,
Invexit, heroum instar ingens,
Magnus Avus, genus unde ducis;

Simulque campos clade furentium,
Quas saeva adegit, Marte lacessere
Non id merentem vis, cohortum,
Carminibus merito celebres,

Ostentat omnes, altaque et horrida
Montana claustra, et rupibus inviis
Imposta propugnacla, et arces
Hostibus innumeris tremendas.

Quid fidae alumnae pacis, et otii
Honesti amicae, quae decora urbium,
Quae commoda, et vim, gloriamque
Amplificant, vigilesque servant?

Non hae minorem, foedere dexteras,
Pectusque junctae, laetitiam oreque
Produnt sereno, vocibusque;
Nulla minus sibi jure plaudit.

Gaudent honores propositos sibi,
Parata gaudent praemia dicere;
Regisque cunctae largitatem
Usque novam celebrare certant.

Hinc docta tellus foenore semina
Majore passim reddere; laetaque
Proscindi aratro jam feraces
Cernit agros, ubi tesqua pridem:

Brevique cernet per juga montium
Perfossa longe, et trans vaga flumina
Duci fluentum, ac ire jussum
Prata procul, sataque irrigatum.

Hinc officinis ardor in omnibus
Accensus ingens, laudis iter sequi,
Insueta tentare, ac honorem
Posthabito petere usque lucro.

Jamque et Batavûm pectine plurimi
Laudem aemulantur; filaque serica
Texendo multi doctiores
Adproperant superare Gallos:

Jam quod rudi auro, quodque ebori potest,
Quod aeri, et electro ars decus addere,
Id omne nostris livor ipse
Haud renuat, tribuitque fama.

Neque invidemus nomina Graeciae
Praeclara priscae, marmora mollius
Caelare doctos, vel Lysippos
Vel Phidias; nec Apellis artem:

Nec, quae palaestris tamdiu in Atticis
Quaesita magnis sola laboribus
Est gloria, acres admovente
Pectoribus stimulos Minerva.

Hinc ipsa Sedes, ardor ubi aemulus
Fervet juventae, et pascitur optimis
Mens quaeque, nata literarum
Laudi, epulis, aliturque abunde,

Felix celebrium prole virûm Parens,
Regumque, Sedes, filia nobilis,
VICTORIS ingens cura, amorque
Est merito, caniturque longe.

Quid conor autem singula persequi?
Nil, PAULLE, mentis vim fugiet tuae;
Nil rite cultum, nil peracre
Ingenium ad decus omne natum.

Tu, quae nefandos poena premat comes
Ausus, procaci et fraena licentiae
Quae jacta; virtutique cernes
Quantus honos sit, et aequa merces.

Iisque Regi sub penetralibus,
Queis alta crevit, queis viget indoles,
Tot jure linguis praedicata,
Alloquii vice dulci adhaerens,

Quam saepe tecum, lumen et omnium,
Queis Aula splendet, suspiciens chorum
Laudum, beatos nos, quod Ipse
Sceptra regat, merito vocabis!

AD GUSTAVUM III AB OLDEMBURGO

SVECIAE REGEM AUGUSTISSIMUM

Quum externas regiones peragrans ad Augustam Taur. divertisset, summumque studium ibi praeseferret regiam suam Personam occulendi.

EPIGRAMMA

Regum dum mores, dum facta illustria passim
Exprimis, et generis tot decora alta tui;

Dum, quas Te docuit tam multas Pallas amica,
Egregias artes undique fama canit;

Cur o tam cupide frustra, GUSTAVE, laboras,
Nomen ut occultes gentibus ipse tuum?

Scilicet ut virtus Te prodat sola, probetque,
Quam sis regifico dignus honore coli.

IN SANCTUM GENESIUM *MARTYREM*

Cujus patrocinio Auctoris patria plurimis a seculis est commendata.

HYMNI

I

Quicumque sacro flumine
Lustratus alta Caelitum
Ad scamna tendis, inclyta
Gaude Genesj gloria.

Hoc ipse fonte subditam,
Contemtor ante, pectori
Vim sensit, et vestigia
Detersa cuncta criminum:

Coeloque lapsus aliger, *
Dum, quae patravit, indicat,
Ostendit hinc e codice
Evanuisse singula.

Non ergo ludit amplius,
Ludumque spectatoribus
Praebet protervis, mentiens
Et veste Christum, et vocibus.

---

* *V.* Fleury, & Zaccarelli *Hist. Ecclesiast.*

Jam vera, dio Numine
Repletus, ultro praedicat,
Quae caeco ubique percitus
Errore pridem riserat.

Jam nil movetur impii
Minis Tyranni: verbera,
Flammas, et ungues ferreos,
Necemque constans sustinet.

Vel tortor ipse lacrymis
Vix parcit; at Genesius,
Haerere Christo gestiens,
Collum securi subjicit.

Sit laus Parenti debita;
Sit Filio, qui lustricas
Praecepit undas gentibus;
Sanctoque sit *Paraclito.* *

---

* *Hae voces* Martyr, *et* Paraclitus (ὁ μάρτυρ, καὶ ὁ παράκλητος) *etsi non latinae, ita tamen saepe usurpatae fuerunt a sacris Scriptoribus, ut sacris in hymnis, ad popularem intelligentiam accommodandis, habere locum posse mihi visae fuerint. Simili etiam de caussa penultima ſyllaba in* Paraclito, *quae natura longa est, licet recentiorum more* ἦτα *in* i *mutatum fuerit, correpta fuit.* Prudentius *quidem et* Paracletum *scripsit, et* e *corripuit in hoc versu choriambico:*

Spirat de patrio corde *Paracletum*

Audi bellipotens Romulidum Arbiter,
Et vos o Proceres, lumina civium;
Urbis me celebris cuncta fora, et viae,
Omnisque angulus audiat.

Sat risi heu! studio concitus impio,
Quae linguis fuerant digna cani omnibus;
Nunc, pulsis tenebris, jam merito placent,
Quae letho magis oderam.

Jam Christum veneror, quo duce, tendere
Ad coelum potero, qui via, qui salus,
Qui spes est hominum solus, et ultima
Post fata innocuos beat.

Vos mecum pudeat, nomen et asseclas
Odisse, et veniam poscite supplices.
Sic sacro madidus fonte Genesius
Firmo pectore dixerat.

Nec mentem solidam barbara verbera,
Non artus lacerans ungula concutit,
Non nex. Vultu hilari vivere desinit
Sancti propositi tenax. *

Nobis, dum canimus fortia *martyrum*
Gesta, adsis Genitor, qui regis omnia:
Adsis par soboles, Nate, Patri optimo;
Adsis Sancte *Paraclite*.

---

* *Obiit Romae*, Diocletiano *Imper.*, *anno* (*ut* Zaccarelli *refert tom.* IV *pag.* 174) 288. *V.* Martyrologium *Romanum* VIII *cal. sept.*

MARDOCHAEI SOMNIUM.

Ex lib. Esther cap. XI.

Susis degebat, male tutam exinde futuram,
Paucis ante annis novus additus incola, vitam
Mardochaeus, Jemini antiqua de stirpe, Jaroque
Patre satus, nullique illic pietate secundus,
Quique sibi Estherem, fratris de sanguine cretam,
Optavit natam, patrioque eduxit amore:
Quum sibi crudelem Judaeae gentis, Amani,
Sexto post anno, scelere, insidiisque parandam,
Communem cladem in somnis, ausumque nefandum
Objectum vidit, simul et discrimine in atro
Spem subitam auxilii, et praesagia certa salutis,
Sola licet mentem rerum simulacra subirent.
Somno etenim quondam (postquam vim sortis acerbam,
Multiplicesque dolos hominum secum ipse putasset
Nocte diu, nullamque daret cura aegra quietem)
Quum tandem vinctus languentia membra levaret,
Ecce statim magno misceri cuncta tumultu
Visa sibi circum, et resonare ingentibus aether
Vocibus, et mugire solum, ac tremere ardua passim
Culmina, et horrendo coelum reboare fragore.
Nec satis: hinc gemini existunt, fera monstra, dracones,
Et pariter capita alta gerunt, pariterque trisulcam
Ore vibrant linguam suffecti sanguine et igni
Terribiles oculos, et sibila colla retorquent,
Iratique ambo dira ad certamina tendunt.
Mox etiam innumerae, magno turbante tumultu,
Exiguum in populum turmae fera fata parabant
Saeva ira accensae, totumque exscindere bello

Conjurasse simul monstrabant ore oculisque.
Jamque videbantur consurgere in arma ruentes
Hinc inde una illae, et saevum certamen inire;
Supplex hic contra tanto in discrimine vitae,
Auxilioque carens, nullam spem ponere in armis,
At lacrymis tantum indulgere, ac poscere pacem.
Dein fons exiguus, miseris dum questibus ille
Aëra complebat late, auxiliumque rogabat,
Protinus ingentem excrevit conversus in amnem,
Perque agros ivit circum exspatiatus apertos,
Undique sufficiens pratis sitientibus undas:
Discussisque procul tenebris, pulsoque timore,
Aurea lux coelo tandem, totumque per orbem
Exstitit effulgens, solitoque nitentior altum
Sol oriens cursum, radiisque exauctus, inivit.
Tum numero exiguis animus suffectus, et ingens
Addita vis, saevosque hostes formidine captos *
Visi avido cunctos late convellere dente.
His ita spectatis, excussus denique somno,
Constitit incerta turbatus imagine rerum
Jarides; ancepsque animi secum ipse putabat
Singula perpendens, numquid mirabile visum
Forte ferat laeti, an tristes denuntiet iras?

---

* *V. vers. 11, et 12.*

Assuerus Persarum Rex potentissimus, dimissa Vasthi, Regina, et conjuge sua, singulari, et admirabili Estheris, Hebraeae virginis, forma, quarto post anno, captus, uxorem eam ducit, regiumque diadema illius capiti sua ipse manu imponit.

Ex cap. I, et II.

Jam quater explerat, duodena per astra recurrens,
Sol iter axe suum, quartumque exegerat annum,
Noctes atque dies referens mortalibus, ex quo
E thalamo Assuerus, genus alto a sanguine Regum,
Rexque idem, populisque potens, atavisque, opibusque,
Reppulerat Vasthim (patrio cognomine Atossam
Dictam una perhibent) soliique, iratus, honore
Dejectam, tituloque simul, quo incesserat ante
Spectanda, et multas jam fama impleverat oras,
Communem ad sortem, cultumque, habitumque jacentis
Fortunae (miseram!) Sede exturbaverat alta.
Nec tamen irarum tam longo ex tempore caussae
Exciderant animo: fixae, immotaeque manebant,
Ut quondam in silvis procul ictae cuspide cervae,
Quo se cumque ferat, lateri haeret fixa sagitta;
Responsumque datum, spretique injuria jussi,
Saepe recursando, sub pectore vulnus alebant.
Ast ubi se se oculis forma pulcherrima Edissa
(Nomine et hanc alio Estherem dixere Parentes)
Obtulit accitu ipsius, seque intulit altis
Lecta omni ex numero tectis, claraque refulgens
In specie, atque oculos paullum demissa nitentes

Restitit, ora notans subito suffusa pudore;
Protinus illi omnes exolvit pectore curas,
Vasthim abolens animo, sensusque ita vinxit, eumque
Ossibus implicuit ignem, ut defixus in uno
Haeserit obtutu secum decora omnia mente
Perlustrans tacita dudum; ardescensque tuendo
Dein magis, atque magis, miroque incensus amore,
Praecipuam thalamo, totaque in Regia haberi
Jusserit, et Regni consortem nomine dici.
Centum ergo famulae, totidemque illam ordine longo
Protinus accedunt pueri, ut praecepta capessant;
Intentique omnes pendent circum undique ab ore:
Tum Dominam passim per limina laeta frequentes,
Reginamque omnes festiva voce salutant
Unanimes Proceres, summo et dignantur honore
Secum ipsi taciti, nullo unquam tale frementes
Ore decus nituisse. At Rex, Dii nostra secundent
Coepta, inquit, tantum qui fronti, oculisque decorem
Afflavere tuis: Tuque o jam suscipe dignam
Te mentem, et Regum incipias assuescere mensis,
Quae sis cumque, uxor posthac dicenda Darii. *
Mox capiti, his dictis, et crinibus aptat habendo
Purpuream vittam, regale insigne, decusque
Ipse sua dextra, nitidaque in sede locari
Imperat; ac fausto resonant late omnia plausu.

---

* *Qui fuerit magnus ille* Assuerus, Estheris *conjux* (*hoc enim nomen, Regibus omnibus commune tunc erat apud Persas*); Cyrus *ne*, *an* Xerses, *an* Artaxerses Longimanus etc.? *non satis constat*, *neque usquequaque convenit inter sacros interpretes*. *Plerique contendunt eum fuisse* Darium Histaspis *filium*, *et* Xersis *patrem*. *V. cl.* Marchini *de Divinitate*, *et Canonicitate sacr. Bibliorum part.* 2. *art.* IX. *in pag.* 186.

Aman Procerum Princeps in Assueri imperio, in Mardochaeum iratus, quod ejus ad pedes procidere nollet, de universa Judaeorum gente delenda edictum acerbissimum ab Assuero extorquet, diemque sortitur, quo Judaei omnes ad unum occidantur. C. III.

Quamquam nulli hostes bello, Rex maxime, aperto
Imperio in tanto, et tam claro, ac nulla videtur
Vis metuenda Tibi, cui tot sunt oppida, et arces,
Totque acies, praestansque adeo, spectataque virtus;
Non tamen immunem me publica cura timore,
Non mea casta fides patitur, quodcumque minetur
Sive odium, aut livor, sive ira insana periclum.
Nec me sollicitum Regni ullius, atque potentis
Hostis habent arma, in Te forte, tuosque parata.
Non ea vis animo, nec tanta audacia cuiquam.
Civilem motum timeo, insanosque tumultus.
Namque ea, quam nosti cunctas volitare per urbes
Dispersam late tua per florentia Regna,
Seditione potens, rerum et studiosa novarum,
Gens Judaea novos mores, vetitosque Sacrorum
Inducens ritus, legesque et regia temnens
Scita tua (heu facinus!) Persarum pectora passim
Compositis verbis in Te temeraria acerbat.
Haec ego, Rex, vereor, quo se se audacia vertat:
Nec prius absistam Regnoque, Tibique timere,
Quam penitus pereat communi funere mersa
Seditionis amans gens ista, inimicaque Persis.
Quare, age, meque metu, Rex optime, solve, tuoque,
Nascentem extinguens hanc pestem, consule Regno:

Praeter enim laudem, jussum quae magna sequetur
Hocce tuum, et victa aeternum de fraude triumphum,
Millia de exuviis facti, infectique redibunt
Argenti (haud incerta cano) tibi multa talentûm.
His dictis, magna Rex ira protinus ardens
Quippe doli ignarus, stimulisque immanibus actus
Immeritum in populum, tibi sint, ait, ista talenta
Omnia, quae spondes, modo fraus inimica, furorque
Vi cadat oppressus, penitusque hac peste nefanda
Exhaustum hinc Regnum placida mox pace quiescat.
Te penes haec igitur sit cura, omnisque potestas,
Audaces adeo, quibus obstat gloria nostra,
Insanosque homines fraenare, ac sumere poenas;
Consiliique mei tibi testis hic annulus esto.
Nec plura effatus digito detraxit, eique
Tradidit obductum gemmis fulgentibus aurum.
Ille domum repetens tectis digressus ab altis
Protinus et frontem, furto laetatus iniquo,
Sollicitam explicuit, scelerataque gaudia testans
Et vultu et verbis, mensemque diemque in amico
Sortitur coetu, invisam quo exscindere stirpem
Adparet, ac totum Judaeum extinguere nomen.
Adstant suspensi, dum sortes excipit urna,
Circum homines, et Aman medius secum omnia versans;
Concussoque exit bissenus mensis ab aere.
Nulla mora est igitur: Susis crudelia pendent
Illico, perque vias vulgantur regia jussa,
Hebraeo ut generi bellum, exitiumque paretur,
Utque senem ac puerum passim discrimine nullo
Una eademque dies communi funere mergat:
Perque omnes populos missi qui dira reportent
Imperia, et caedis doceant tempusque modumque,
Cunctaque praecipiant temerari sanguine tecta.

Esther Mardochaei verbis ab eunucho Athac admonita, ut Assuerum adeat, suaeque gentis excidium deprecetur, haec secum.

Ex Cap. IV.

Me ne ad conspectum Persarum Regis et ora
Injussam (heu facinus!) jubet ire, et vocibus ultro
Compellare virum, precibusque ambire molestis,
Ut sua jussa novis revocet, legemque refigat?
Id ne pater vetitum jubet ignorare severis
Imperiis, et quae maneat me poena adeuntem?
Nam sit pro patria praeclarum occumbere morti,
Quid mea mors tandem vel crudelissima nobis
Auxilii feret? An studio mitescere saltem
Incipiet verso Regis placabile pectus?
Nempe iram accendam vehementius; ipsaque fato
Urgenti moriens incumbam. Talibus Esther;
Et vocem interea suspiria longa, gravesque
Praecludunt gemitus, lacrymaeque per ora volutae.
Verum ubi paullisper se se dolor inde remisit,
Imo in corde furens, rediitque in pristina virtus,
Fidum ad se famulum, vix pressis fletibus, accit;
Ique, ait, et patrem verbis solare benignis
Ipse meum, ac ritus memora, legesque verendas,
Suppliciumque atrox, omnes, discrimine nullo
Non ultro accitos Regis penetralibus arcens.

Justam Estheris excusationem non accipit dolore percitus Mardochaeus; iterumque ab ea per eumdem eunuchum contendit, ut Assuerum adeat, eumque exorare conetur. Ex Cap. IV. v. 13. 14.

Jaridem festinus adit, mandata facessens,
Reginae famulus, dulcique levare jacentem
Nititur alloquio, atque acrem lenite dolorem:
Tum legem, ut jussus, memorat, ritusque vetantes
Accessum ad Regem, ni sit data copia sponte;
Hosque recusantem violare excusat Edissam:
Nec tamen his dictis Judaeus flectitur, ullum
Aut recipit luctus solamen; at aestuat imo
Valdius excrucians, saevitque in pectore cura.
Qualis ubi, accenso ramis crepitantibus igni,
Flamma furens magno exsultat sublata camino,
Bacchaturque, globos volvens, et acumine lambit,
Summa petens, tectum, si quis super ingerat undam
Tum forte exiguam, frustraque extinguere tentet,
Hinc magis atque magis furit aestus, et ignea gliscit
Vis atrox, superasque petit violentior auras.
Quare his, ingeminans suspiria moesta, gemensque,
Sollicitum famulum verbis dimittit amaris:
Vade, ait, Estheremque jube, secum ipsa volutet,
Non se nequicquam regali in sede locatam
A Patre supremo, cui rerum aeterna potestas;
Nec, si destituat saevo in discrimine gentem
Ipsa suam, ut prudens sibi parcat, tutaque regnet,
Illius auxilium miserae quoque defore, summis
Qui semper bonus eripuit, facilisque periclis
Incolumem; ast ipsam certa mox clade, domumque
Interituram omnem patria de stirpe creatam.

Estheris Deum Israël obsecrantis, ut paratum suae genti falsa Amani criminatione exitium benignus avertat.

ORATIO

Ex cap. XIV.

Summe Pater, spes o miserae fidissima gentis
Judaeae, rerumque unus columenque decusque
Nostrarum praesens omni in discrimine semper,
Ne quaeso, ne temne preces, ac vota tuorum,
Hasque meas lacrymas, sed nos facilisque bonusque
Aspice; neve feri patere, immitisque tyranni
Exsaturari odium indignum; rabidumque furorem
Unius ob noxam bacchari in sanguine nostro.
Nonne vides, jussu quot jam fera tela superbo
Exitium in nostrum immineant, quaeque horrida surgant
Hinc bella, atque hinc in miseros? Non quae undique caedes
Imperio in magno pueroque senique parantur?
Nempe parum visum est duris in rebus iniquo
Servitio premere, et damnare ad turpia facta,
Ni populum, quondam tibi carum, et numine fretum
Usque tuo exscindant communi clade, nec ullam
Spem cuique effugii immensa in regione relinquant.
Ast haec praeteritis jamdudum debita nostris
Criminibus poena est, eademque licentia leges
Nunc pergit violare tuas, iramque ciere.
Cuncta equidem fateor. Sed num sperare vetamur
Propterea veniam? Nil heu! pia vota, precesque
Nil lacrymae effusae noctesque, diesque valebunt?

Non hoc nos pietas, non hoc clementia prisca
De te sentire, et nostri tua maxima cura
Hactenus insuevit: nec mî, quae saepe canebat
A teneris benefacta pater, mirandaque signa,
Queis genus hoc nostrum, sortem miseratus acerbam,
Casibus ereptum meliora ad fata vocasti,
Exciderunt animo. Sedet, aeternumque sedebit,
Hostes per medios, perque arma obstantia quondam
Felicem ad terram, promissaque regna parentes
Deductos nostros, viresque, acremque furorem
Hostilem edomitum, ac manifesto numine fractum
Esse tuo, et lectam populis ex omnibus unam
Hanc nostram, dictamque tuo de nomine gentem,
Ut canat in terris nullo non tempore laudes
Grata tuas, meritosque memor persolvat honores.
Nunc igitur quisquam tua flectere jussa valebit?
Quaeque patres olim viderunt usque, videntque
Hac firmata tenus nostri, nunc irrita demum
(Quis credat?) promissa cadent; peccataque nostra
Innocui pueri expendent, teneraeque puellae?
Non super ullus erit, qui Te, benefactaque caelo
Usque tua extollat, cumuletque altaria donis?
Scilicet id pugnant, simulacraque muta Deorum
Contendunt hostes Te contra extollere, et omnes
Qui tibi solvendi sunt uni, laudis honores,
Votaque, thusque omne (indignum!) traducere in ipsos.
Jamque illis tribuunt quidquid virtute, manuque
Ipsorum est gestum; mox vim, immensamque ferentes
Esse potestatem, populorum ex ore nefandas
Elicient laudes, statuentque altaria passim;
Et sua, Te spreto, celebrabunt Numina vana.
Quod Te per veteres, tua quondam rite colentes

Sacra patres oro, tua per promissa, initumque
Nostro cum populo sanctum ac venerabile foedus,
Ne patere; at saevam fac in nos denique mentem
Exuat, atque tui exemplo mitescere discat
Rex meus, et conjux, simulato crimine falsus:
Fac reseret precibus, quas ira illi obstruit, aures;
Hoc primum; hinc animos aliorum infringe superbos,
Nosque tuum genus exitio, Pater optime, saevo
Eripe, namque potes; fessis et consule rebus.
His precibus lacrymas, quibus ora sinusque rigantur,
Atque graves gemitus addens, haec imperat inde
Accito famulo ad Patrem mandata referri.
Vade age; dicque omnes, quos urbs habet, illico in unum
Judaeos cogat, si fas, jubeatque, fatigent
Assiduis precibus superumque, hominumque Parentem
Tres pro me luces cuncti, pacemque, abeunte
Sole, orent, pacem rursum veniente, nec unquam
Interea lacrymis parcant; potusque, cibique
Exiguo hoc spatio expertes data tempora degant.
Tum cinere aspergens sibi crines, pulcraque foedans
Ora, habitumque situ, veniam pacemque rogabat
Ipsa quoque instaurans supplex pia vota precesque:
Tresque illam soles somno videre, ciboque
Luctum inter deinde, et squalenti in veste carentem.

Esther, Capto denique consilio Assuerum, Regem, et conjugem suum ultro adeundi, suaeque genti salutem atque pacem implorandi, regio fulgens habitu, studioseque comta ad solium se confert.

Ex cap. v. et xv.

Sederat Estheri tandem haec sententia, Regis
Tendere non jussam ad solium, precibusque maritum,
Si fas, et lacrymis ambire, in utrumque paratam,
Aut servare suos, aut certae occumbere morti;
Quum subito aeternum supplex de more precata
Omnipotens Numen, trepida formidine pulsa,
Spemque, novumque animum sibi fundi in pectora sensit.
Ergo statim immundum, quo crines, oraque nuper
Turparat, cinerem capite excutit inde, decusque
Omne suum fronti, et lumen revocare juventae
Arte parat, famulas, quae centum stant pede in uno
Sollicitae circum, exercens: jamque illa capillos
Colligit in nodum jussa, et fulgentibus ornat
Hinc atque hinc gemmis costo, myrrhaque madentes;
Jam parat haec mitram, et redimicula cuncta; nitetque
Huic aurum in manibus; chlamydum ornamenta, lapillos
Illa tenet; profert alia, atque expandit amictus;
Unguentisque aër, sertisque recentibus halat.
Singula quid memorem? Sua quaeque in munera, cunctae
Incumbunt celeres, mirisque ornatibus oris,
Membrorumque decus, quo nil praestantius, augent.
Jamque nihil poterat docta ars, studiumque placendi
Addere, quum binas numero delegit ab omni

Ipsa sibi comites Esther; formaque refulgens,
Incessuque patens matrum pulcherrima, Regis
Limina, multa precans Superos, metuenda petivit.
Sustinet una comes gemmis, auroque micantis
Syrma fluens chlamydis; Dominae laetissima corpus
Altera subnixum lateri sustentat adhaerens.
Tum sic incedens spectantum pectora amore
Succendit; cunctique stupent mirabile frontis,
Egregiumque decus, dum celsa per atria transit:
Laeta etenim vultu ingreditur, moestumque timorem
Corde premit simulans. Tandem ad penetralia Regis
Ventum est. In solio sedet alto Assuerus, et auro
Cuncta nitent circum: riget auro vestis, et una
Effulget nitidis, nexisque ex ordine gemmis;
Et bifores auro, et laquearia celsa renident.
Ast hinc (heu miseram!) flammantia lumina circum
Rex subito torquens saevas denuntiat iras.
Quid faciat lethi tanto in discrimine, Regem
Iratum aspiciens, sibi conscia criminis Esther?
Ecce metu exanimis caput inclinata recumbit
Ancillae in gremium. Sedet ori pallor, et omnis
Cessit honos frontis; modo qui nituere sereni,
Languescunt oculi; vox faucibus haeret; et auras
Carpere vitales penitus desisse videtur.
Exsilit id cernens subito mutatus, et ira
Deposita, Assuerus (Deus illi namque benignam
Indiderat mentem) legesque oblitus avitas,
Atque suas, collo moribundae brachia circum
Dat citus uxoris, revocatque e limine lethi
Lenibus his verbis: cur, o suavissima rerum,
Cur trepidas? Tuus ecce tuus (timor omnis abesto)

Frater adest, Esther *: ne tu, quae caetera turba,
Communes metuas Regi carissima poenas.
Omnibus exemtam te dico legibus istis.
Fare age, quid venias tandem; securaque sensus
Suscipe te dignos, miserisque assuesce rogari.
Sic ait, et sceptrum de more intendit; eoque
Omnia confirmat sua dicta, jubetque benignum
Hinc sibi sperare, et votis, precibusque secundum.
Quare oculos Esther rursum velut ante decoros
Attollit (frontique suus splendorque, decorque
Interea redeunt): tum, voce animoque recepto,
Et grates, inquit, mi Rex, tibi solvo, precorque,
Quando jubes fari, ut mihi des, quum tertia ab undis
Se lux extulerit, nostris te posse sub altis
Tectis excipere, et tecum patiaris, Amanum
Convivam acciri, nostraeque accumbere mensae.
Annuit, his precibus Rex victus; laetaque in aedes
Ipsa suas, postquam sibi facta est copia, tendit:
Atque hinc Judaeis populis via prima salutis
Panditur, et rerum novus illico nascitur ordo.

---

* *Fratrum nomine appellari olim solebant ab antiquis Hebraeis non solum qui iisdem parentibus geniti, aut ejusdem stirpis, ac generis essent (ut οἱ ἀδελφοὶ apud Graecos), sed quicumque vehementer, et in primis diligerentur. V.* Calmetti *in vers. 12 hujus cap., et quos ipse locos Sacr. Literarum, suam ut sententiam confirmet, ibi memorat.*

Etiam Cic. (fam. 7 ep. 10) fratres *pro amicis vocat AEduos:* fratres nostri AEdui. *V. Isidor. 9. 6, ubi quatuor de caussis* fratrem *dici hominem posse ostendit:* natura, gente, cognatione, affectu.

Achioris Ammonitarum Principis ad Holophernem, Hebraea de gente a primoribus exercitus multa percontatum.

ORATIO

Ex lib. Judith. cap. v. *

Cuncta equidem, o Assyriae Ductor fortissime gentis,
Expediet, si audire libet, tuus Achior unus;
Nec, quae fama refert tali de gente, tacebit
Ipse tibi, nec quae sedeat sententia menti.
Sit modo fas illam veris exponere dictis.
Principio Euphratis ripas, Nabathaeaque rura,
Clara ubi Edessa caput, Carraeque ad sidera tollunt,
Thariades, genus unde illis, et origo, tenebat.
Tum Deus ipse hominum summus sator, atque Deorum,
Ut perhibent ipsi, sacri cui thuris honores
Reddebant uni, patria decedere terra
Jussit, et in campis placidi consistere Orontis.
Magnus ibi populus paullatim principe ab uno
Deductus: sed et hinc tandem discedere jussi
In Charan laeti sedem posuere, novisque
Exstructis domibus, multos habuere per annos,
Donec eos tristis rerum penuria adegit,
Pallidaque esuries Pharias concedere in oras.
Plurima felices ibi lustra egere, nec ullo

* *Carmen hoc, & quae sequuntur, ex illis sunt, quae jam semel edita diverso tempore fuerunt.*

Niliacos inter Pharao discrimine agebat.
Ac veluti sparsum praecultis semen in agris,
Terrae quod gremio exceptum se tollit ad auras,
Herba prius, mox innumeras progignit aristas,
Spesque avidas implet, suspensaque vota coloni:
Haud aliter crevere illic labentibus annis;
Ut citius flavas sinuoso in littore arenas,
Aut stellas possis caelo numerare micantes,
Quam, quos Abramidas genuit Mareotica tellus.
At postquam ditione premi coepere superba,
Servitioque fero, precibus tunc Numen amicum
Permotum ac lacrymis, quibus ora, sinumque rigabant,
Cedere eos monuit, laetas et quaerere terras;
Eripuitque jugo duri, immitisque tyranni.
Quid referam, quantis fuerit signisque, minisque
Admonitus Pharao, cunctos dimittere acerbo
Servitio pressos? Sed enim, dum durior ipse
Semper, et immotus fugientibus instat, et urget,
Cum ducibus, turmisque suis perit obrutus undis.
Namque ubi cum patribus pueri, innuptaeque puellae,
Et pavidae matres, acrisque, ardensque juventus,
Invalidique senes vicina ad litora rubri
Pervenere maris vestigia certa secuti:
Cumque furore amens Rex ipse instaret, et omnes
Duceret ira ardens, peditumque, equitumque catervas,
Et rapidos currus, totam quo exscindere gentem,
Sumereque audaci poenas de sanguine posset,
Constitit in montis faciem, mirabile visu,
Hinc atque hinc ponti suspensa volubilis unda;
Et pavidum medios clarus Dux fortibus ausis
Per fluctus Populum sicca transmisit arena.
At Pharias acies peditumque, equitumque sequentum,

Et galeas, ac scuta virûm, currusque, ducesque
Obruit ingressos simul omnes unda relapsa.
Interea montes felix gens munere Divûm
Vicinos subiit, curaque, metuque soluta;
Thusque adolens meritas reddebat Numini amico
Noctes, atque dies grates, caeloque ferebat
Laudibus immensis sanctum, ac venerabile nomen:
Desertosque locos percurrit, et invia Sinae
Saxa quaterdenos annos, monstrante corusco
Igne viam, rutilae formam referente columnae.
Mira illic virga undas edulcabat amaras
Numinis illius monitu Dux; ipsaque purum
Ejus ad imperium reddebant saxa liquorem.
Quin etiam insolitam suffecit ab aethere genti,
Ambrosiamque escam Deus idem, ad munera largus,
Roris quam ritu, seras dum vesperus horas
Vexerat, ipse statim caelo mittebat ab alto.
Singula quid memorem? Sine telis illa, sine arcu,
AEre sine, et clypeo populos, Regesque superbos
Contudit, ac leges victrix, et condidit urbes.
Nec Chanaan illi populisque, opibusque potentes
Magnanimi Reges valuere obsistere, et armis
Frangere, quos profugos, et egenos omnia circum
Regna errare actos fato meliore videbant.
Bellipotens etenim suus ille in bella ruebat
Arma gerens Deus, et pedites, equitesque fugabat.
Ipse repugnantes dabat hostes sternere, et urbes
Expugnare, et agris victos expellere avitis.
Scilicet haec ipsis constabant praemia honorum,
Quos scelerum puri reddebant rite precantes.
At quoties, patrios ausi contemnere ritus,
Externos coluere Deos, factisve nefandis

Neglexere suum, poenas usque, illico in iras
Concessi, inque probrum, victi, srratique dederunr;
Ludibrioque habiti, vinctis post terga lacertis,
Postque rotas rapti, peregrina in Regna abiere.
Sic odit Deus ille malos; sic impia facta.
Nec tamen interea lacrymas, gemitusque precanrum
Ipse tenax irae spernebat, crebraque vota,
Si veniam tandem, et finem longique, gravisque
Exsilii tristes, tactique dolore petebant:
At placido adflictos spectans tunc denuo vultu,
AErumnasque graves miserans, et tristia fata
Servitio ereptos in pristina Regna vocabat;
Eversasque domos, et templa, atque oppida rursum
Exstruxisse dabat, celsasque educere moles.
Quare age, lux aevi, Dux inclyte, magnaque nostri
Gloria, qui factis imples praestantibus orbem,
Et facta, et mores hominum, quos perdere bello
Jure paras, prius explora, et cognoscere tende,
Num patrias foedo violarint crimine leges,
Quo Deus iste in eos dignas conceperit iras.
Nec mora, si sontes, vallum superemus, et alta
Moenia securi, mediamque ruamus in urbem,
Ut meritas sumas inimico a sanguine poenas:
Spondeo namque tibi magnis digna omnia coeptis.
At si nulla illos factive, ausive nefandi
Faeda premit labes, nec eorum summus, et acer
Ira ardet merita vindex, ah tendere contra
Parce, nec ancipiti vitam committe, decusque
Assyrium marti, vulgi ne fabula simus.

Holophernis ad eumdem Achiorem

RESPONSIO

Ex cap. VI.

Cuncta tuum recident jamdudum, futilis augur,
In caput haec, nobis quae tu discrimina fingis.
Quis Deus iste, suam qui gentem proteget armis,
Quemque ipsi perhibent hominumque, Deûmque Satorem?
An vero ignoras aliud non esse, Nabucchum
Si excipias, Numen, nec fingere cuique licere
Nomina vana Deûm? Quem sane . . . at ut exitus ipse
Augurium falsum, vesanaque dicta refutet,
Jamque uni discas adolendos thuris honores
Assyrio Regi, terras qui numine torquet,
Haud mora, ad obsessos, ipsis sociandus, abibis,
Ut, si defensum te det Deus ille, suosque,
Nos fessi obsidio valida fugiamus ab urbe,
Et bello indecores, et vulgi fabula simus;
Tu vero victis impune illudere possis:
At si templa simul cum tectis cuncta videbis,
Indignasque aras meritos considere in ignes;
Cives si cunctos nullo discrimine caedi;
Tum te densa tegat telorum ferrea nubes,
Multigenusque tibi pectus transverberet ensis.

Achior Holophernis jussu sub moenia Bethuliae raptus, arbori ibi adligatur, ut in hostium manus incidat: illi autem, derepente supervenientes, ad Oziam, eidem urbi Praefectum, eum ducunt.

NARRATIO

Ex eodem cap. VI.

Protinus arreptus, manibus post terga revinctis,
Hostilem contra (nam sic praeceperat ira
Percitus Assyrius) trahitur miser Achior urbem:
Qualis ubi vitta, et florum redimita corollis
Victima, clamosa vulgi stipante caterva,
Ut cadat, ad sacras stabulis deducitur aras.
Ardua surgebant summo de culmine montis
Moenia, quae innumeris Holophernes cinxerat armis;
Difficilemque aditum rupes, excisaque saxa
Reddebant, validoque viae munimine septae.
Hinc atque hinc gemini, trepidis fiducia rebus,
Tollebant se se munito vertice clivi,
Assiduaque illos cives statione tenebant.
Hos igitur vinctum sub clivos Achiora ducunt
Delecti pueri clypeosque, ensesque gerentes:
Atque, ubi prospiciens venientes culmine ab alto,
Praesumensque animo praedam, custodia contra
Irruit, insidias metuens urbique, sibique,
Arboris ad truncum torto jam fune ligato
Achiore, praecipiti repetebant castra regressu.
At vigiles hostem, suspiria longa trahentem

Illico corripiunt, ducuntque per avia ad urbem.
Jamque propinquabant portis, Patremque petebant
Oziam, populum cui cura, urbemque tueri;
Cum subito et juvenum, et patrum simul adstitit ingens
Circumfusa manus, propiusque accedere certant.
Quisque suos cives, ubi sit, vel quomodo captus,
Quodque viro nomen; quae sit fortuna requirit.
Interea summi succedunt Praesidis altis
Sedibus, et rapti memorant casum hostis, eique
Protinus Ozias manicas, atque arcta levari
Vincla jubet, positaque ipsum formidine fari,
Qua sit gente satus? cur vinctus? curve relictus?
Infenso ne animo veniat; an fors sit amicus?
Ille manus tendens hilari sic voce profatur:
Hostis ego vester, dum me crudelia fata
Cogebant, fateor, multisque ex millibus unus
Ipse fui, Assyriis quos castris maximus armis
Addidit, et victis Holophernes, atque subactis
Urbibus, ac populis violenta in praelia traxit.
Nunc fas crudelem ductorem odisse, aciesque,
Signaque, quae invitus, fato poscente, sequebar.
Non adeo magnus vestra nos dividit urbe
Tractus, et hic eriam mea, credo, patria nota est,
Cujus agros omnes vastavit, et inclyta bello
Moenia, nec templis parcens, arisque Deorum,
Nec laribus, bellua ductor truculentior omni.
Scythopolin dixere patres, et conditor urbem.
Nec quidquam nobis veniam, pacemque rogasse
Profuit, et campos, urbesque, armentaque, ovesque.
Fortunasque omnes, atque ipsam dedere vitam.
Oratorum etenim primum, qui tempora olivae
Praecincti ramis, facti, infectique ferebant

Magnum auri numerum, fulgenti in veste, verendum
Splendorem, atque decus, et verba precantia sprevit:
Mox campis infesta ferens, atque urbibus arma,
Fasque omne abrumpens imis e sedibus alta,
Proh dolor! evertit, visu miserabile, Divûm
Templa, domosque una cunctas populavit et aras,
Et pubem totam scelerata sub arma coëgit.
Quid referam, quot regna brevi, quot ceperit urbes;
Quotque repugnantum replerit sanguine fossas?
Audistis certe quoque vos cuncta impia facta,
Quorum fama omnes implevit questibus oras.
Atque utinam, quae nos passi, quae plurima regna,
Vos saltem effugere antiqua cum laude queatis!
Sic vestrum omnipotens vos Numen protegat, et vim
Tantam animis addat vestris, ut fortia patrum
AEquetis facta, et magnos, clarosque triumphos:
Quos ego dum memoro, dum vos obsistere posse
Contendo, aetherei si vobis Rector Olympi
Adsit, et auspiciis jubeat cuncta ire secundis,
Protinus ipse furens tumidas exardet in iras,
Crudelemque necem intentat, vinclisque gravatum
Me vestra adduci jubet alta ad moenia, ut omne
Vobiscum subeam excidii, exitiique periclum,
Atque avidos oculos infando funere pascam,
Si vestros ferro muros exscindere, et altis
Turribus, et tectis liceat, templisque potiri.
Quare agite, o summo Superûm gens cara Parenti,
Quem colitis, precibusque illum, votisque vocate,
Ut procul hinc facilis tanta haec discrimina pellat
Ipse armis certans, inimicaque tela retundat;
Neu sua templa sinat temerari, tectaque flammis
Deleri, et vestras crudelibus, atque superbis

Ludibrio natas, ac matres hostibus esse.
Vester ego socius, si, ut spes, me nemo recusat,
Omnibus in pugnis adero, summisque periclis:
Nec me crudeles acies, invisaque castra,
Quo res cumque cadat, unquam liquisse pigebit.
Vos, vestrasque aras, et non violabile Numen
Testor, ait. Cui sic populi Pater, atque supremus
Arbiter, et belli, et pacis, cui summa potestas:
Quisquis es, Assyrios hinc jam obliviscere, et urbem
Sit tibi communem nobiscum cura tueri.
Noster eris, quando huc coelum te traxit amicum;
Indigenaeque loco mihi civis habebere semper.

Ozias, obsessae Bethuliae Praefectus, jure trepidantibus ob aquae defectum cunctis civibus, divinam opem in tam magno discrimine supplex implorat.

Ex Cap. VII.

Summe Parens, Deus oh! Abrae, Isacque, et Jacob,
Qui genus hoc nostrum, illorum de nomine dictum,
Jussisti his terris consistere, templaque, et urbes
Condere, si grati tibi sunt, quos vovimus aris,
Et quos rite tuo mactamus nomini honores;
Si sponte hoc nostra, atque tuo sine numine bellum
Haud gerimus, da tecta, Pater, vitamque tueri
Posse, nec Assyriis nos trade, Ducique superbo.
Cernis ut insultet miseris, tumidusque secundo
Marte ruat? Quin templa simul dare, tectaque flammis,
Et totum Judae nomen delere minatur.

Quis vero heu! tandem ferrumque, facesque ferentem
Audeat obniti contra, atque obsistere, ni Tu
Juveris auxilio, cui belli aeterna potestas?
Aut quid tot gentes olim superasse juvabit,
Te Duce, totque tuo lethi evasisse pericla
Numine, et auspiciis, si nunc uno ordine cuncti
Decidimus ferro absumti, flammisve, sitive?
Quid, si haec nunc illis exscindere moenia detur,
Tectaque diripere, et capta dominarier urbe,
Quis tandem impediat, quin recto hinc tramite ad altas
Contendant arces, ubi sacri foederis Arca,
Jussaque legifero tua nobis tradita Patre,
Et templum, toto quo nil augustius orbe?
Ergo tuas aras, et si quid sanctius illis
Esse potest, manibus sterni patiere cruentis;
Nosque tuum populum scelerata strage aboleri?
Nec Te prisca fides, pietas nec summa parentum,
Nec nostrae effusae lacrymaeque, precesque movebunt?
At meritam ingrati culpis succendimus iram.
Quae mage digna Deo res est, quam parcere, opemque
Supplicibus praebere, orent si denique pacem?
Parce tuo generi, Pater, et miserere tuorum.
Quod te per foedus, sacra quod conditur Arca,
Per tua sacra rogo, per spem Venturi, et ab alto
Mittendi coelo, qui nostra piacula solvat.

Bethuliensium in summo urbis discrimine de facienda ad Assyrios deditione apud Oziam tumultuose agentium.

ORATIO

Ex Cap. VII.

En quo nos tandem, dum te nihil ira, minaeque
Impavidum hostiles, et aperta pericula terrent;
Dum veniam, Ozia, pacemque exposcere verbis
Supplicibus renuis, durae inclementia mentis
Perduxit miseros. Urget jam tecta sub ipsa
Hac frustra evitata tenus nos effera diri
Vis fati, nullamque licet sperare salutem.
Frustra arcent hostem, lethi discrimina parva,
Moenia, vimque omnem, scelerataque bella propellunt;
Namque domi heu! passim, peragit dum mollia lentus
Otia marte ferox hostis, tumidusque secundo,
Deficimus cuncti; quosque ille absumere ferro
Haud potuit, nullo indecores discrimine sternet
Dira, et acerba sitis, quae jam flagrantia torquet
Guttura, et insinuans toto se corpore sensim
Viscera jamdudum, ac fessos depascitur artus. *
Aspice quam densa hic turba a te pendeat uno
Natorum, atque patrum, matrumque. Huc quisque, levamen
Ut poscat, saevo, indomitoque ardore subactus
Effudit se se, tacitusque hinc laeta referre
Quisque domum sperat mandata. Aut ergo reclude,

---

* *V. verf.* 11. *et* 17.

Quod sperare nefas, clausos tali obice fontes;
Quamque omnes trepidi, pueri, innuptaeque puellae,
Matres, atque nurus poscunt, juvenesque, senesque,
Suffice aquam; aut hosti, cui non obsistete telis
Posse datur, pressos tam duris rebus, et arctis
Nos trade; et veniam cuncti, pacemque precemur.
Praestat enim victos hosti servire, Deoque,
Quo nos cumque trahant, meritos persolvere honores,
Quam magis atque magis hostilem acuisse furorem
Durando hic frustra, tum nostro sanguine tela
Imbuere Assyria, atque urbem concedere saevis
Delendam flammis, armisve a sede ruendam.
Non etenim dubium, nostrûm quin denique Patrum
Ille Deus, populo qui nos secrevit ab omni,
Quique jubet dubiis in rebus numine niti
Usque suo, placido nos spectet denuo vultu,
Si precibus veniam assidui, votisque rogemus;
Exiliumque ferum miserans, et tristia fata,
Servitio exemtos in pristina regna reducat.
Quare age, dumque licet, rebus succurrere lapsis
Festina, Ozia, et certae nos eripe morti.
Nulla salus clausis, nec spes defendere porro
Moenia, nec circum patet ulla per horrida castra,
Perque acres bello peditumque, equitumque catervas
Jam via tam exiguis numero, fessisque laborum.
Quin igitur (miseros!) tentamus dura precando
Flectere corda, ultro murorum ex aggere inermes
Tendentes dextras? Quin victam dedimus urbem,
Mollimusque prius, si fas, et vincimus iras,
Sanguine quam nostro, nullo discrimine, saevas
Exposcant poenas, penitusque extinguere nomen
Judaeum immites tendant victricibus armis.

Haec tibi, siquis amor, perstet sententia menti:
Id propera, Ozia; quod te juvenumque, senumque
Turba omnis, populusque frequens, sanctusque Senatus
Unanimes poscunt. At Tu, Pater optime, nostra
In quo spes tota, et bellorum aeterna potestas,
Parce tuo generi, quaeso, et miserere precantum.
Haud equidem insontes Te nostra in vota vocamus;
Multorumque adeo scelerum nos conscius aether
Arguit (heu quantum!) ingratos, similesque parentum,
Quorum prava tuas est ausa licentia leges
Frangere, sed vincat pietas, clementia vincat
Illa eadem, miseros mediis quae saepe periclis,
Exitioque ipsos manifesto numine tectos
Eripuit, tutamque viam per tela, per hostes
Supplicibus quondam patefecit, et aequore vasto.
Quod tibi si certum tamen est exposcere poenas,
Idque animo sedet; haec constat sententia menti,
Ne patrium, quaeso, Pater, obliviscere amorem;
Sitque tua (hoc saltem) quam nos accendimus, ira
Mitior, atque aliquam liceat spem ferre salutis.
Ne patere exscindi protectam numine gentem
Usque tuo, aut vinclis, palmasque pedesque gravatam
Raptari indigno scelerata in regna triumpho.
Sit satis Assyrio dictis impune protervis
Obtrectasse tuum nostro cum nomine nomen
Jamdudum: discat tandem quod temnere te te
Flagitium fuerit; nec dicat victor, ovansque,
Atque tibi insultans: *ubi nunc est Numen eorum?*

Oziae ad eosdem Bethulienses

RESPONSIO

Ex Cap. VII

Parcite jam lacrymis, socii, justoque dolori
Sit modus; atque preces duplicantes, votaque, mecum
Quinque dies tantum durate, et ab aethere summo
Optatam expectemus opem: nec vertere quisquam
Cuncta paret secum, atque urgenti incumbere fato.
Forsan enim exiguo hoc spatio nos denique amore
Tactus, et aeterno, sacra quod conditur Arca,
Foedere bellipotens Genitor miserabitur, ira
Deposita, et dubio eripiet, trepidoque timore;
Disjiciensque hostes, luctumque in gaudia vertens,
Quos vis nulla potest jam nunc, nulla arma tueri,
Defensos dabit, et rebus feret ipse salutem.
At, si non pietas illum, non gratia tanget,
Non lacrymae effusae, nec habet justa ira regressum;
Si meritas statuit, tenditque exposcere poenas;
Assyriisque feris vinctos nos tradere, natis
Exemplum ut nostris, et qui nascentur ab illis
Utile mox simus ventura in secula cunctis:
Tunc agere, exactis, quos posco, quinque diebus,
Fas verbis, precibusque erit, ac nos dedere, et urbem.
Nec mora nectetur tunc ulla, aut caussa morandi.
Illum ipsum testor, cujus venerabile Numen
Propitium optamus, precibusque in vota vocamus.

Judithae ad Proceres Hebraeos, post captum ab Ozia consilium, intra quinque dies deditionem urbis faciendi

ORATIO

Ex Cap. VIII

Unde haec, o Proceres, hodie dementia tanto
Consilio instructis? Ergo nos dedere, et urbem
Intra quinque dies, praesens ni Numen adesse
Festinet, trepidoque metu nos ilicet ipsum
Eximat, Ozias promisit? Nempe supremo
Coelicolûm Regi, rerumque, hominumque Satori
Praefinire modum nostrum est, tempusque, diemque,
Quo nos, quippe pios adeo, ac sua jussa verentes,
Protinus eripiat dura obsidione levatos
Ipse sua dextra summo, horrendoque periclo.
At qui vos tandem, aeternum tentare Tonantem
Ut sic, atque illum tacite facienda monere
Ausitis? Non haec, Proceres, mihi credite, sedant
Criminibus nostris accensam, valdius usque
Inflammant iram, ac stimulant, acuuntque furorem.
At quoniam ad poenas piger est, veniamque paratus
Usque dare adflictis, duplicent si vota precesque,
Eia agite, atque imo suspiria corde trahentes,
Tendentesque manus, moestis et fletibus ora
Perfusi veniam cuncti, pacemque rogemus.
Forsan enim precibus victus, lacrymisque remittet
Iram omnem ardentem, mansuetaque corda resumet
Oblitus scelerum, mentemque, animumque benignum.

Non etenim aeternum servat sub pectore motus
Irarum, exercetque odia, ut mortalia sueta
Corda, sed et patitur se se exorari, et amore
Commutat facilis (loquor haud ignota) furorem.
Sit modo vesanus procul omnis fastus, et illum
Demissis animis venerantes, thureque multo,
Talia dicamus, lacrymisque usque ora rigemus:
Adsis o tandem, et scelera obliviscere nostra,
Hoc primum, omnipotens Genitor, tum respice quales
Circumstent acies sacrisque, tuoque inimicae
Nomini, et insano fastu fera corda tumentes.
In Te spes uno, non urbis in aggere, et armis
Est omnis nostra: a Te uno in discrimine tanto
Imploramus opem, rerumque, urbisque salutem.
Tu miseros serva, magnis si casibus uni
Fidimus usque Tibi, nec foeda exempla secuti
Degenerum fuimus majorum, sacraque nunquam
Thura tuis aris subtraximus, aenea signa,
Aut lapides brutos culturi, aut sculptile lignum.
Tu procul immanes hostes, qui nil tua curant
Jussa, nihil Numen, simulacraque vana Deorum,
Posthabito Te, thure colunt, hinc disjice victos:
Submissisque favens animos infringe superbos.
Talibus, o cives (trepidis si rebus, et arctis
Sit mihi foemineae, quae stat sententia menti
Fas verbis aperire) aequum est in vota vocare
Divûm, hominumque Patrem, dubiamque orare salutem.
At vos interea, factis qui clari, et avito
Sanguine, versatis, lingua, eloquioque potentes,
Flexanimis verbis populum, qui totus ab ore
Nunc pendet vestro, trepida formidine pressum
Erigite, atque animum dictis illi addite amicis.

Bella illi, et casus varios, et saeva pericla
Cuncta Patrum, constans queis explorata voluntas,
Relligioque fuit, memorate; ac pandite contra,
Fata rependentes fatis, et praemia poenis,
Horrendis quoties, converso in gaudia luctu,
Auxilio fuerint Superûmque, hominumque Parentis
Casibus erepti, quoties in patria regna
Servitio ex diro, mediave ex caede reducti;
Deletasque acies, urbesque, atque oppida ab illis
Capta recensete, et belli decora inclyta parta,
Et solio exutos, actosque in funera reges,
Dum meritos puro solvebant pectore honores
Coelicolûm Patri, durisque in rebus ab ipso
Sperabant uno solamen rite precantes.
Nec reticete Abrae exemplum, qui plurima passus,
Eximium, tentante Deo, pietatis amorem,
Eximiamque fidem primus, firmusque probavit:
Sicque Patres cunctos, quorum de nomine dicta
Gens omnis, multis tentatos casibus esse:
Sic Isac, Isacque satum; sic jussa verenda
Qui tulit e sacro delapsus monte, docete.
At parte ex alia clades sit cura referre,
AErumnasque graves, et dira, horrendaque sumta
Supplicia ex multis, quorum ausa licentia leges
Polluere, Auctoremque ipsum contemnere amaris
Vocibus, atque iram foedis incendere factis.
Ergo metum incutiant haec nobis, illa salutis
Spem faciant, memorique animo repetenda putantes
Antiqua exempla, et caussas simul irae, et amoris,
Consilia in melius referamus, nostraque poenis,
Quas Deus exposcit (non quo simul obruat omnes
AErumnis pressos; at ne pereamus, et arma

Ipse manu oratus ponat) graviora fatentes
Crimina, parcamus vanis, levibusque querelis;
Demissisque animis ne, quaeso, ullum excidat unquam
Ore nefas, motam quo vis accedat ad iram
Valdior, at veniam, pacemque uno ore precemur
Matres, atque nurus cunctae, innuptaeque puellae,
Et teneri pueri, et patres, juvenesque, senesque.
Haec, Proceres, summi monitu, augurioque Parentis,
Quae sim cumque, loquor. Sic quae sententia menti
Nunc surgit (Deus illam oranti nam addidit idem
Ipse mihi) laetis animis, aequisque probetur.
Hinc tacitam exire, intempesta nocte, reclusis,
Si liceat portis, mens est, sociamque pericli
Abram unam, comitemque viae deducere mecum.
Quae spes, quidve struam, sit fas reticere, nec ulli
Pandere, consilio donec perfecto, et amico
Numine tecta, redux, ut spes, cuncta ordine narrem.
At vos interea, per vos, vestramque salutem,
Per quidquid sacri veneranda conditur Arca,
Vota, oro, atque preces iterate, ut rite secundet
Magna incoepta Deus, facilique ut numine firmet
Augurium ipse suum, vel, si fas, quinque diebus
His ipsis, quando hac vos circumscribere meta
Optatum auxilium (miseros!) aequum esse putastis.

Judith, Holophernem aditura, ad profectionem se comparat; studioseque ornata, Ozia, caeterisque Primoribus omnia fausta precantibus, urbe exit.

Ex cap. x.

Desierat lacrymis, precibusque in vota vocare
AEternum Judith Superûmque, hominumque Parentem;
Cum subito exurgens (pullam nam squalida vestem
Prostrata orabat tecti in penetralibus altis),
Ingentique animum spe arrecta, et imagine facti
Corporis ad cultum, et mollem, insuetumque paratum
Curam omnem studiosa refert, famulaque ministra,
Eximiam formam parat arte augere, decusque.
Ergo prius cinerem capite excutit undique sparsum,
Squalentemque humeris, ut jussa est, sedula amictum
Detrahit, ore situm abstergens, et corpore toto,
Abraha * (sic famulam perhibent cognomine dictam);
Mox manibus crines componit, et, arte magistra,
Nunc calido ferro crispat, myrrhaque madentes
Colligit in nexum, nunc ostro innodat et auro:
Tum nitidam mitram, gentis crinale decorum,
Imponit capiti, quam serica taenia, et auro

---

* *Abra, poetice Abraha, graeca vox est* ἄβρα, *vel* ἅβρα, *et puellam, sive ancillam adolescentulam significat, ut in Gen. cap. 2* Ῥεβέκκα καὶ αἱ ἅβραι αὐτῆς, *Rebecca et puellae ejus; et Exod. cap. 2* αἱ ἅβραι αὐτῆς, *ancillae, vel puellae ejus.*

Intexta, inque modum spirae subnexa coërcet;
Desuetisque diu, rubroque ex aequore missis
Illi aures gemmis onerat rutilantibus aptans,
Longaque succingit baccata monilia collo.
Tum lateri decus, auroque, argentoque rigentem
Induitur pallam, qua vulgi saepe solebat,
Nupta nova incedens, oculos inflectere, et ora.
Singula quid referam? Digitos jam gemmeus ornat
Annulus inductus: jam brachia ductilis auri
Lamina, jamque pedes virgata, ac murice tincta
Tegmina circumdant, laeti ornamenta, decusque
Temporis, et ductae dulci cum conjuge vitae:
Egregiusque oculis nitor, et toto eminet ore.
Jamque viae accingi tales induta paratus
Adgreditur, comitemque Abram sibi deligit unam,
Quippe fide notam, tanto in discrimine habendam.
Tostam ergo cererem (mora nulla) deinque, oleumque
Dat comiti ferre, et pultem *, vinoque tumentem
Indigena utriculum: queis caseus additur, alta
Haud valde urbe procul pressus, passaeque in apricis
Collibus, inque orbem concretae, caricae Idumes.
Tempus erat, furvis cum nox invecta quadrigis
Cursum jam medium stellato excessit in axe;
Alituumque genus terris pecudesque, ferasque,
Defessosque homines passim sopor altus habebat;
Cum tecto Judith manifesto Numine ducta
Egreditur, portamque petit, qua validius urgent
Propositum Assyrii, et muris trepidantibus instant;
Primoresque illic tacitos, ipsamque manentes,

* *V. vers. 5, 6, 7.*

Atque simul populi reperit, Patremque, Ducemque
Oziam, qui luce nova, vultusque decore
Perculsi insolito (Deus illi namque juventae
Purpureum lumen, speciemque, et frontis honorem
Insuetum adflarat) cuncti obstupuere; nec ausus,
Quid strueret, quisquam, vel quae sententia menti
Constaret, verbis scitari, ac quaerere caussas.
Tantum illam Ozias, patefactis illico portis,
Sic voce adgreditur, lacrymisque adfatur obortis;
I, quo te ducit tua virtus, i pede fausto,
O decus Abramidum, Judith, et maxima nostrae
Spes urbis, regnique labantis: teque per omnes
Defensam casus Superûm det Rexque, Paterque;
Auguriumque suum firmans tua coepta secundet
Auxilio ipse suo, praeclarae ut praemia laudis
Inde feras, vigeatque tuum per secula nomen.

Holophernis summi hostium Ducis ad Juditham, ejus ad Praetorium deductam, et Judithae Responsio.

Ex cap. XI.

Parce metu, o quamvis hostili sanguine creta,
Digna tamen cultu celebrari, et laudis honore:
Non etenim quemquam, terraque, marique potentis
Qui velit imperio Regis parere Nabucchi,
Dirus ego insector, belloque, armisque lacesso:
Nec tuus hic populus, quem nunc circumsonat altus
Armorum strepitus, nec jam vel moenia clausum,
Vel valli, fossaeque tegent, hic tendere contra
Assyrias acies vidisset, et aëra telis
Umbratum nostris, nisi me, et mea temnere jussa
Auderet, nimiumque suis confidere rebus.
At tu, cur patriam, civesque relinquis, et hostes
Sola petis? Quae caussa fugae? Vel quis Deus istam
Objecit mentem, quo te discrimine tanto
Eripias fugiens, nec spe tenearis inani?
Fare, age, deposita formidine, et omnia pande.
Sic ille: et proceres circum, famulique fremebant
Interea cuncti, vultusque, orisque decorem
Laudantes Judith, animisque lubentibus arma
Dicentes merito hebraea cum gente ferenda,
Unde queat victor, virtutis praemia, tali
Praestantes forma vultus, atque ora referre.
At Judith, oculos paullum demissa nitentes,
Sic deinde orsa loqui: famulae ne despice, quaeso,

Verba tuae; ast aequa, Dux summe, illa accipe mente.
Hinc etenim disces, quae sors manet ultima nostros;
Quoque modo possis cum civibus urbe potiri
Caede sine, ac telis, et hebraea capessere Regna.
Nec tibi vana feram, per te, et tua fortia facta,
Perque caput testor, majestatemque Nabucchi,
Per, quae in te residet rara ipsius, almaque virtus,
Qua domitos armis populos, gentesque feroces,
Qua pecudes ipsas victas parere fateri
Cogis, et exerces scelerato a sanguine sumtas
Hac illac poenas; qua denique didita late
Fama tui, ac nomen cunctis increbuit oris.
Te populi, ac gentes nulli virtute secundum,
Consilioque unum, et solleri mente potentem
Assyrios inter memorant, praeclaraque passim
Facta, admirati, laudesque ad sidera tollunt.
At populus noster, cui nunc et conscius error,
(Heu sero, et frustra!) coeptique audacia tangit
Inconsultum animum, trepida formidine pectus
Concutitur, propiusque ingens, tetrumque periclum
Jam spectans, se ipsum, quod non te acceperit ultro
Moenibus, incusat, bellum execratus, et arma.
Nempe sedent animo, quae tu responsa dedisti
Achioris ad dicta, et summi queis Numinis iram
Ipse sui accendit, scelerata ac turpia facta:
Scitque ab iis monitus, queis dat Deus ipse futura
Nosse, diem summam, qua foeda piacula pendat,
Instare; urgeturque adeo jam vindice poena,
Limina quae passim per cuncta, accincta flagello,
Perque vias omnes excurrit, verbere quemque
Insectans torto, et frustra fugientibus instans.
Namque siti heu! dira, undis deficientibus, ardet

Jamdudum, rabieque simul torquetur edendi
Moenibus inclusus; nec spes evadere septo
Tot circum turmis, et tot victricibus armis
Est reliqua, aut veniam fas jam, pacemque rogare.
Hinc sibi, quo pallent, tam magni caussa pavoris:
Hinc, qui cuncta tremor quatit ossa, atque occupat artus.
Nec superare parant contemti Numinis iram,
Supplicibus votis addentes vota, precesque,
Et lacrymas lacrymis: ast ultro accendere pergunt
Jam magis atque magis, speque exturbantur ab omni.
Jamque, sitim ut pellant, pecora omnia caedere, ovesque
Constituere suas, et fuso sanguine sicca
Guttura polluere, et quae nec contingere dextra
Fas est, quippe Deo solemni ex more sacrata
Religione Patrum, vetito convellere dente,
Ut ventrem placent, penitusque absumere tendunt.
Haec sibi summa mali labes; haec summa ruinae
Caussa erit extremae Regnique, urbisque: fugamque
Hinc adeo, mandante Deo, a quo nuncia mittor,
Arripui, patriamque domum, civesque reliqui.
At liceat famulae (quando illam, maxime Ductor,
Tam placidis verbis profugam, et laeto excipis ore)
Quaeso tuae patrios, inter victricia tela,
Hic ritus colere, ac meritos persolvere honores
Coelicolûm Patri, et tuto loca sola subire.
Namque preces illic noctes iterare diesque
Mens est, dum mî denique ineluctabile tempus,
Quo velit ingrata poenas exposcere ab urbe,
Ipse ferat verbis iterumque iterumque rogatus.
Tum tibi, quae audiero (nec erit mora) pandam, et in urbem
Ipsa ego te ducam, et victrici tempora lauro
Praecingam ingresso: nec sit qui obsistere contra

Adparet, aut fraenum accipere, ac parere recuset.
Immo metu stupidus nec vocem tollere quisquam
Audebit, tacitusque oculos te figet in uno,
Attonitis inhians animis, tua factaque mirans.
Conscia sic illos, quae nunc improvida turbat
Pectora, mens scelerum: sic laesi Numinis ira
Defiget terrore novo, vimque auferet omnem.
Haec Pater omnipotens mihi cuncta, tibique ego jussu,
Auspiciisque ejus veniens, nunc ordine pando.

Judith dormientem Holophernem obtruncat, ejusque abscissum caput suae tradens Abrae, Bethuliam victrix, et voti magnanimi compos revertitur. Rem omnem ordine Primoribus ibi refert; et in medium consulere pergit.

Ex Cap. XIII, XIV, et XV.

Ebrius in strato, victusque sopore jacebat
Dux ferus, et vasto proflabat pectore somnum,
Horrificos rhoncos male apertis naribus edens:
Fulmineusque ensis, gemmisque, auroque coruscans
Pendebat juxta, cuncta in discrimina belli
Longo ipsi ex more, et vim omnem, insidiasque paratus;
Cum Judith, Abra accita, jubet ostia propter
Excubet, ac moneat, si quis forte obvius adstet.
Tum tacita accedens, digitisque innixa, animamque
Ore tenens, ensem dextra arripit, illico nudans;

Attollensque oculos, submissa ita voce precatur:
Nunc mihi, nunc animis opus est, et robore firmo,
Auxilioque tuo, Pater optime; perfice magnum
Tandem, oro, votum, cunctasque extende per oras
Nominis ipse tui hoc facto famamque, decusque,
Sic ait; assurgitque super se se ipsa, oculosque
Ardet, et ore minax, vultuque interrita ferrum
Attollit dextra: tum crinibus implicat hirtis
Sollicitam laevam, et, collectis viribus, acrem
Torquet agens ictum, penitusque immane recidit,
Adnitens acie, caput, et cervice revellit.
Mox super incumbens manantem sanguine truncum,
Vinaque mista simul rumpentem stragulo opertum
Purpureo involvit, sparsumque cruore mucronem
Juxta obdit; fulcroque tegens demittit ab alto
Picta tori aulaea, et collectas explicat oras.
At caput horrendum, calido dum sanguine totum
Stillat adhuc, caedesque minax spirare videtur;
Lumina dum nondum sat clausa horrentque, natantque,
Arripit, atque Abrae tradit, telaque reponit
Ipsa manu includens; paribusque hinc gressibus ambae
Diffugiunt tacitae, vallis secreta petentes,
Ut mos, hostilesque acies, et castra peragrant.
Jamque, pererrata, sola sub nocte silenti,
Valle, propinquabant, qua se fausto omine pridem
Extulerant, portae; et, superato vertice montis,
Plurimus Assyrios inter qui exstabat, et urbem,
Jam poterant notas audire, et reddere voces;
Cum Judith: laeti o portam mihi pandite, cives,
Pandite, ait, nam parta salus, seque inclyta bello
Summa Dei ostendit memoranda potentia nostri.
Nec plura: at vigiles, mora nulla, in limine primo

Sollicìti accipiunt venientem, et diditur urbe
Confestim tota volitans per compita rumor;
Implenturque omnes trepidis in sedibus aures.
Undique visendi studio juvenesque, senesque
Ilicet accurrunt, propiusque accedere certant;
Et reducem affari, et quae sit fortuna rogare,
Quidve ferat cupiunt, quae spes, quae fata supersint?
Praecipue proceres, et qui regit unus habenas
Urbani Imperii. At tumulo sic denique ab alto
Aggreditur Judith; intentique ora tenentes
Suspensis jussi circum omnes auribus adstant:
Ferte Dei meritis ad sidera laudibus omnes,
Et celebrate pii sanctum, ac venerabile nomen:
Ipse ratas etenim, coelo miseratus ab alto,
Spes nostras tandem, mihi vim ad memorabile factum
Sufficiens, fecit, rexitque ensemque, manumque
Ipse mihi, ut letho crudelem sterneret hostem.
Talibus effata horrendum caput extulit hirtis
Crinibus apprensum, et, telae velamine tracto,
En Ducis Assyrii, dixit, pallentia tabo
Ora, modo hac dextra saeva e cervice revulsa.
Tum breviter memorat, qua caedes arte peracta;
Auctoremque Deum testatur, consciaque astra,
Coelestemque suum Genium, se crimine nullo
Pollutam, quo laeta minus victoria haberi
Possit; at intactam remeare ad patria tecta.
Nec non indici victori Numini honores
Hortatur meritos, et pleno dicier ore
Illius in populum benefacta, animumque benignum,
Afflictisque omnes melius confidere rebus.
Ac veluti, horrificum si quis prope patria lustra,
Stravit aprum caedi, trepida formidine silvas

Implentem late, atque omnes cultoribus agros
Vastantem ex longo jam tempore, gaudia certant
Testari hinc socii vultu, hinc clamore secundo;
Nuncque ferum immanem, quem vix contingere stratum
Esse putant tutum, spectant, et corda tuendo
Expleri nequeunt; nunc fortem lumina ad ipsum
Victorem referunt, aut oscula dulcia jungunt
Gratantes laeti, roburque, animumque canentes:
Haud secus effusi studio circum undique cives,
Atque animo Judith, et rei novitate stupendae
Perculsi, abscissam modo frontem, haud absque timore,
Terribilesque oculos lustrant, et valdius usque
Foeminea attoniti mirantur mente agitari
Rem tantam potuisse, manuque ita fortiter actam;
Nunc reduci plaudunt, nomenque ad sidera tollunt,
Victricemque hilares cupiunt contingere dextram.
At pius Ozias veneranda Viraginis ora
Obtutu primum, atque animo haud imitabile factum
Perlustrans tacitus, sic mox, plaudente corona
Spectantum tota fremituque, oculisque, profatur:
Quis tibi, Judaeae decus ingens gentis, et omnis
Foeminei generis, Judith, pro talibus ausis
Praemia digna ferat? Quis tantum laudibus aequet
In patriam meritum? Longos miserata labores
Communes sola (haud equidem sine Numine summo)
Objectas certo caput, horrendoque periclo,
Immanem Assyrium haud metuens tela inter adire
Innumera, et lapsas spes erigis una, saluti,
Subsidioque viam recludens, teque supremo
A Patre delectam praeclara ad facta, suique
Tutamen populi ostendis, dignamque perenni
Carmine cuncta virûm celebrem volitare per ora.

At tibi pro meritis, quas nunc non reddimus ipsi,
Persolvent memores ventura in secula cuncti
Abramidae grates; nec laudes ulla tacebit
AEtas sera tuas: nunc vota iterare, precesque
Tendamus potius, quo tanta exordia rerum
Perficiat Deus, et saevo nos denique ab hoste
Eripiat miseros, si fas, tetrumque periclum,
Et quam marte ferox stragem, exitiumque minatur,
In caput ipsius, fera pellens agmina, vertat.
Tuque adeo, illius quae sit nunc summa voluntas
Explora, aut, si nota, mone; doceasque vicissim
Qui tibi sit sensus menti: tum consule porro
In medium ut facis. Haec ille; assensuque fremebant
Communi proceres, stupefactaque concio circum.
Tum Judith, capere arma, inquit, cum proxima lucem
Aurora attulerit, praefixaque, moenibus ora
Occisi Assyrii arrecta protendere in hasta
Suadeo, et e muris subito agmine, et impetu in hostes
Irruere, ac magnos clamores tollere ad astra.
Namque ubi signa cani, seque ad certamina belli
Custodes videant prima ex statione vocari,
Protinus ad summi tentoria Principis omnes
Excurrent, monitumque volent arma, arma iterantes,
Attonitique fugam improvisa caede capessent:
Vosque adeo urgentes ferietis terga, pavorque
Saxa per, et salebras passim, perque invia quaeque
Praecipites aget, ac vestros ferus imbuet enses
Hac illac cruor, et spargentur funera campis.
Talia dum memorat, simul Achior ecce repente
(Achior ille trucis jussu Ductoris ad urbem
Adductus pridem, manibus post terga revinctis)
Adstitit accitu Oziae, vultumque ferocem

Invisi Assyrii cernens, et lumina nota,
Morte licet clausa, antiqua formidine pressus
Palluit, obstupuitque animo (sic perculit una
Abdita vis mentem, et sensus) subitoque tremore
Procubuit gelido pectus concussus, et artus:
Ceu quondam, nimius quum saevo e vulnere sanguis
Ilicet erupit; vel cum caput impetit ater
Halitus effusus, mediusve, undante theatro,
Turbam inter calidum, impurumque quis aëra duxit,
Concidit, ac misero color omnis diffugit ore.
Ast ubi collegit se se, viresque recepit,
Protinus exurgens, remque ordine laetus ab ipsa
Accipiens Judith totam, plena, inquit, acerra
Thura Deo vestro date cuncti, cunctaque passim
Ora sonent laudes terraque marique potentis
Numinis, et vestro (nunc novi) et gentis honore
Late omnis digni, aetherea quae vescitur aura,
Qua sit cumque ora, queiscumque auctoribus orta.
Mox ultro, his dictis, uno omnia condita ab illo,
Resque geri cunctas Superûmque, hominumque fatetur;
Pertaesusque animi damnat, quos indidit, omnes
Caeca superstitio errores, precibusque doceri
Judaeos poscit mores, legesque sacrorum;
Consiliumque suum, et pacis venerabile pignus
Sollemni ex ritu lustrali sanguine sancit.
Interea Oceano, stellis aurora fugatis,
Extulit alma caput, vallosque, et castra retexit
Assyriûm; jamque arma Pater, pugnamque parari
Jusserat Ozias; jam signum fervida pubes
Ferro accincta fremens, vi magna animoque superne
Protinus immisso, acres assurgebat in iras:
Ceu leo, venantum magna qui forte corona

Cinctus, et impatiens, septoque, armisque teneri
Infremit horrendum, et pugnae se suscitat acer
Immanem meditans stragem, rabieque remugit.
Tandem igitur portae panduntur: et ilicet omnis
Agglomerata cohors ruit alto e vertice, et ense
Quisque ferox nudo, et spirans vultuque, oculisque
Terrificum ardorem, torrentis fluminis instar,
Culmine qui summo praeceps, tumidusque feratur,
Ingruit, atque hostes subito impete terret, et arma
Vix sinit, atque animos ad praelia saeva parari.
Ergo statim vigiles procul arma, arma; imminet hostis,
Exclamant, rapidoque gradu ad tentoria currunt
Occisi Assyrii, strepitumque ad limina (somno
Namque putant arcto implicitum recubare) ciebant.
Jamque aderat Procerum pars magna, jubentque, Bagoas
Ilicet excutiat somno, moneatque, protervos
Adventare hostes, extrema ut praelia tentent.
Nec mora, fidus adit Vagao, manibusque repente
Complodit primum; arrectis mox auribus adstat
Accedens strato, et velamina denique tollit,
Foedatumque suo (visu miserabile!) cernit
Sanguine ibi truncum, pictoque informe cadaver
Obtectum aulaeo, et juxta exitiabile ferrum.
Ergo, manu crines, et amictus scissus, et ora
Unguibus, egreditur moesto late omnia complens
Plangore, atque trahens imo suspiria corde;
Immanemque necem memorans, heu! foemina, dixit,
Una tot Assyriae foedat decora inclyta gentis
Perfida, herumque mihi crudeli caede, Ducemque
Abstulit invictum vobis, magnoque Nabuccho.
Continuoque ruit campum vulgata per omnem
Fama volans, proceresque una, turmaeque repente

Demittunt animum attonitae, trepidoque pavore
Correptae, inque fugam (praesertim ubi moenibus altis
Ora Ducis cernunt praefixa, arrectaque conto)
Se dant effusae, castrisque, opibusque relictis:
Urgenturque adeo, nec se se opponere ferro
Acribus Abramidis audent, qui terga feroces
Terribili ense premunt, demessaque corpora sternunt
Per campos passim, miserandaque funera acervant.
Jamque, procul pulso trepido hoste, ad castra reversi
Victores spolia ampla legunt, praedamque sub alta
Moenia convectant longo ordine: vixque diebus
Collectum multis deportat quisque quod ipsi
Obtigit; ac omnes (tanta est vis divitis auri)
Ditantur cives, * partisque urbs ampla tropaeis
Ornatur, claro aeternum celebranda triumpho.
At summi exuvias Ductoris, et omne sub altas
Congestum pelles aurum, pictosque tapetas,
Barbaricumque ostrum, gemmasque, et ahenea vasa
Excipit Ozias sorti, populoque probante,
Omnia Judithae dat habere, et rursus ad astra
Extollit, donans, virtutem, ac laudibus ornat.

---

* *V. vers.* 7, 8, 13, 14 *cap.* XV.

Ἐν τῇ Κηδείᾳ τοῦ Ἀνδρὸς κυδίστου

ΙΩΑΝΝΟΥ ΔΟΜΙΝΙΚΟΥ ΧΙΟΝΟΥ

Ἐν τῷ τοῦ Ταυρίνου Βασιλικῷ Ἀθηναίῳ

Τῆς Λογιότητος τῆς Λατίνης

Διδασκάλου λογιμωτάτου.

ἘΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ὄν φύσις, ἡ πάντων μητὴρ, τό τε σῶμα, θυμόν τε
Εὐπόιησε, μιν εἰς ἔσθλα γενοῦσα, ἄγαν.

Ὄν προθύμως ἔτρεψε κόρον, καὶ πολλὰ φιλῆσε
Δώροις πληροῦσ' ἡ Παλλὰς Ἀθένη ἑοῖς·

Εὔτιμος ἐν πολλαῖς χώραις φίλος τε Χιώνος
Βουλῇ, καὶ ἔργοις, κ' ἤθεσι, τῷ γε λόγῳ,

Ἔνθαδε (φεῦ) κεῖται, καὶ οὐχὶ δαμέντα ἔχοντα
Τῷ γήρᾳ προέχων ἥρπασε τὸν θάνατος.

Ὅστις ἂν ὦ δακρύων πρὸς σήματι, καὶ καταρᾶθῃ
Τῇ μοίρ' οὐ λήγεις εὐτυχεῖν τε δέου,

Φῦθ', ἄγε, τίς πάσας ἀρετὰς, ὧν σὺ μὲν ἐοῖδας
Ἢ ἐ πάλαι τῷ, ἢ νυνὶ τέτυκται ἴσος;

Idem Graecum Epigramma in funere Viri Clarissimi JOHANNIS DOMINICI CHIONII *In Regio Taurinensi Athenaeo Latinae Eloquentiae Professoris celeberrimi Latine redditum.*

Quem Natura parens animique et corporis auxit
  Egregiis, fingens ad decora alta, bonis;

Sedula quem fovit, miro et dilexit amore
  Muneribus cumulans docta Minerva suis;

Inclytus in multis, carusque Chionius oris
  Consilio, factis, moribus, eloquio;

Hic jacet heu! validumque etiam, incumbente senecta,
  Ante diem, rapuit mors violenta suum. *

Quisquis es o, lacrymis tumulo qui affusus obortis,
  Et requietem oras, et fera fata vocas;

Dic, age, quem tulerint tibi notis laudibus usquam
  Priscave ei cunctis, nostrave secla parem.

---

* *Obiit an. 1770 XV cal. majas annum agens sexagesimum septimum.*

AMPLISSIMO VIRO

FRANCISCO RORENGO LUCERNA A RORA'

Taurinensi Archiepiscopo renunciato Augustam Taurinorum solemniter ingrediente cal. majis 1768.

ODE

Vobis amicum, et fontibus, et choris
Hucusque vestris, Pierides, Virum,
Factisque clarum, moribusque,
Semideûmque genus, canamus.

En gratulantum densa per agmina,
Queis cuncta fervent compita, queis fora,
Primoque fulgens infularum,
Conspicuusque novo decore;

En Urbis almae regreditur, Pater
Dicendus olim, Filius inclytus;
Cujusque pars erat modo, illi
Jura sacra hinc populo daturus.

Ut o! refulget, nobilis aspici,
Ori sereno, blandaque comitas
Movere mentes, efficaxque
Flectere, vel rigidas amore!

Ut, quae tot inter pectore principem
Sedem Sorores obtinet ordine,
Jam clara pridem, jam probata
In miseros animo paterno,

Vi fervidam ignis, quem Deus intulit
Terris, supremo lapsus ab aethere,
Se prodit, arctis Diva rebus
Praesidium facilis futura!

Mentem profundo saucia vulnere,
Fletuque longo squalida, Duriae
Quae fraenat undas urbs sonantes
Imperio, et caput est Salassis, *

(Ut Sponsa votis icta fidelibus
Rapto remotum trans mare conjuge)
Prospectat, haud vultum retorquens,
Moenia laeta suo dolore;

Dixitque flens, et questibus omnia
Implens amaris: cur ita non datum,
Deo probante, invidit (eheu!)
Sors mihi dura Patrem immerenti?

---

* *Praefuit Eporrediensi Ecclesiae ann. tres; ejusque Antistes electus fuit annos natus 32.*

Heu quando posthac, quando alium parem
Rectique cultus, diaque caritas,
Benignitasque, ac integro aevo
Consilium inveniet senile?

Videre pulcro, quem studium Gregis
Subjecit ardens, aspera culmina
Igni aestuantem; imperviaeque
Intrepidum stupuere rupes.

Videre valles, tesquaque inhospita
Et coeno, et atro pulvere sordidum;
Viaque fessum, et cursu anhelum
Saepe solum recreavit arcti

Gurgustii, antrive. Undique splendide
Virtuti amicus, pauperibus pater
Incessit, uni, vel latenti,
Nequitiae metuendus hostis.

Hac arte fretus scandit ad igneas
Franciscus arces, Allobrogum decus
Franciscus olim, nunc et ingens
Praesidium, columenque Regni:

Nec eloquenti voce sagacior
Versare mentes, nec mage pectore
Firmus, per alpes fulminavit
Tartaream, fera monstra, turbam.

Sic illa, frustra dum lacrymis studet
Furentem in imis tristitiam ossibus
Levare; dilectumque nomen
Grata iterat, decoratque fastis.

At quis mihi aestum subdidit interim
Non usitatum, quo jecur uritur
Pectusque, tantum? Quis repente
Dispulit ex animo tenebras:

Lucemque fundens, temporis exitum
Pandit futuri? Munera Delii
Agnosco Patris. Hinc facesse
Ilicet o! procul hinc, profane.

Pro quot, vetustis laudibus inclytas
Laudes recentes, et decora addita,
Quot mente cerno, et quanta, plectro
Digna cani graviore, facta!

Hic insolenti fraena licentiae
Injecta, dirum queis domita infremit,
Fraudesque victas, et fugatam
Aspicio scelerum catervam.

Hinc cedit atro sanguine perlita
Saeva ira palmas, et furor impius;
Hinc livor, impudensque monstrum,
Atque regi indocilis, libido.

Hinc, docta verbis fallere subdolis,
Vultuque corda improvida, et indui
Virtutis, execranda mendax,
Ut volitet speciosa, formam,

Qua nulla averna tristior exstitit
E sede Pestis, ringitur undique
Irrisa, rescissoque velo,
Foeda suas repetit latebras.

En restitutum denique pristinum
Sacris honorem. En legibus optimis
Divorum in aedes advocatam
Munditiem, veteremque cultum.

Ut laeta passim, per fora, per domos,
Et luce circum Relligio nitens
Incedit! Ut frequens Sororum
Sancta cohors sequitur, latusque

Hic inde stipat! Non ea, non ibi
Procaciorum ludibrium timet
Ubique culta, vindicemque
Tam sibi carum, alacremque nacta.

Quin sede et ipsas Pierides sua
Jam laetiores, doctaque pectora,
Tectisque FRANCISCI sub altis
Luce frui meliore cerno.

Cerno sacrarum praemia frontium *
Sertum renidens, romuleum decus,
Factisque, sedulaque cura
Promerito capiti paratum . . .

Quo Musa tendis? Nocte recondita
Arcana verbis pandere desine.
Licebit olim tibiave,
Vel resono celebrare plectro.

---

* *Obiit annos natus 48 prid. id. mart. anno 1778; tunc scilicet, quum fama erat, eaque constans, futurum, ut paucis post diebus inter Purpuratos S. R. E. Proceres,* VICTORIO AMEDEO, SARDINIAE REGE AUGUSTISSIMO *agente, a Summo Pontifice* CLEMENTE XIV *referretur.*

Ἡ Ἰουδὶθ τὸν κοιμῶντα Ὀλοφέρνην ἐπερχομένη.

ἘΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Νῦν ὦ, νῦν θάρσευς δέομαι, μένεός τε μεγάλυ·
Νῦν ἐπικυρίας συ μὲν, ἄριστε Πάτερ.

Ὣς Ἰούδιθ ὑφειμενέως, καὶ ὄμματ' ἐς ἄνω,
Καὶ λαμπρὸν ξίφος ἐν χερσὶν ἔχουσα ἔφη·

Εἶτ' ἐς Ὀλοφένην ὕπνῳ τ', ὄινῳτε ταφέντα
Ἐμβάλλει δεινὴ ὦπα, φάος τε μάλα.

Καὶ σκάιαν πλεκθεῖσα κόμαις, δεξία ἐπῆξε
Τὸ ξίφος ἰσχύρως, κ' αὐχένα τοι τέτμε.

Ἀλλὰ ταφεὶς κόρμος μέλαν αἷμ', οἶνον τεν ἔχευε,
Καὶ πᾶσαν μιχθὲν ῥεῖθρον ἐδεῦσε κλίναν.

Ἐκκοφθὲν δὲ κάρη, φοβερῶς τε τὰ ὄμματ' ἀνοικτάν,
Παιδίσκῃ παρέδω τριξὶ λαβοῦσα ἔῃ·

Πάντα γε τῇ θαυμαζομένῃ πατρὶ τάξει ἔειπε·
Τῷ δὲ Θεῷ νίκης τὴν χάριν ἔχεν ἅμα.

Πρὸς τὸν Α'νδρα ὑπεροχότατον

ΒΙΚΤΩΡΙΟΝ ΚΑΙΕΤΑΝΟΝ ΚΩΣΤΑ
ΑΠΟ ΤΟΥ ΑΡΙΝΙΑΝΟΥ

Τῶν Βερκελλῶν πρὶν τὸν Προςάτlω,
Εἶτα δὲ τῦ Ταυρίνυ Α'ρχιερέα
Τῷ ἔθει φψπη ἀνηγορευμένον.

Ε'ΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Οἶ Σε δοθέντα πάλιν τέλος ἐυτίμιον' τε μάλιςα
Ε'ύχαρις, ὦ ΚΩ'ΣΤΑ, σὴ πατρὶς ἐνδοχέτω

Ταῦς προγόνους γε μέγας, ΚΩ'ΣΤΑ, τὰ ᵹ πράγματα μείζων,
Καὶ ὄντως σαυτῦ κύδεα, δῶρα θυμῦ.

Ε'λθε τέλος, ᾗ ἔνθα Πατὴρ τάχ' ἔθιζε λεγέως·
Καὶ γλυκερὸν τέρπῃ τ' ὄυνομα Πατρὸς ἀει.

Φάινεται ἐκ πάντων κοινὴ χαρὰ, εἶδε, προσώπων·
Καὶ ἠχεῖ ἤδη δώματ' ὁδοϊ τε κρότοις·

Αὐτομάτως ἤδη σὴ ἀπαντᾷν γλίκεται ἕδρα,
Καὶ ἱερὰ τῷ κάλλει πάντα φανόντα νεῷ·

Οἶ ᵹ κροτεῖ αὐτῇ, ᾗ φαίνεται ὦπα χαρῦσα
Ευσεβεία, καλlω ᾗ σελαῦσα κάραν·

Α'ρ ὀῦν σπευδόμενος κοιναῖς κατάνευεν ἐϋχαῖς·
Καὶ σοὶ τ' ὀξύνῃ ἡμέτερος' τ' ἄμ' ἔρως.

Idem Graecum Epigramma, ad Virum Excellentissimum VICTORIUM CAJETANUM COSTA AB ARINIANO *Vercellarum prius Antistitem, Mox Archiepiscopum Taurinensem Anno 1778 renunciatum, Latine redditum.*

Tandem o Te reducem, summis et honoribus auctum
Accipiat, COSTA, patria laeta sinu;

Magne Atavis, COSTA, at factis ingentior, et, quae
Sunt tua vere, animi quae decora alta tui.

Tandem ades, atque Pater confestim assuesce vocari,
Et dulce hic nomen Te juvet usque Patris.

Picta leges passim communia gaudia fronte;
Jamque viae plausu, cunctaque tecta sonant.

Ipsa Tibi gestit tua sponte occurrere Sedes;
Quaeque nitore micant omnia templa novo:

Jamque sibi plaudens vultu mage laeta videtur
Relligio, ac pura tempora luce nitens.

Rumpe moras ergo, et communibus annue votis:
Te tuus impellat, Te quoque noster amor.

Imprimatur. Fr. Vinc. Maria CARRAS Ord. Praed. S. T. M.
V. Gen. S. Off. Taurini.

V. TEPPATI AA. LL. P.

V. GARRETTI DI FERRERE per la Gran Cancelleria.